





24774

Z BIBLIOTEKI
SEMPARII W
SANDOMIERSKIM

5





DISSERTATIONES,
A C
DISQUISITIONES

EXCERPTÆ
EX COMMENTARIO
LITERALI

In omnes Veteris Testamenti Libros

R. P. D. AUGUSTINI CALMET,
Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni,
& Hidulphi.

TOMULUS PRIMUS.



TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO M. DCC. LI.

DISSEMINATIONES

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

DE REBUS IN IUSTITIA

D U M

ASSERTIONES THEOLOGICAS
DE JURE, ET JUSTITIA,
AC DE
DEO UNO, ET TRINO,

*In Alma, ac Celeberrima Archi-Episcopali
Soc. Jesu Universitate Tyrnaviensi,*

Anno Salutis M.DCC.LXI. Mense Martio die 6.
publice propugnaret

Rever. Nob. Excellens, ac Doctissimus Dominus ■

JOANNES ANDRASICS, AA. LL. &
Philosophiæ Magister, Sacro-Sanctæ Theologiæ in
tertium ann. Auditor, ac pro prima ejusdem Laurea
Candidatus, Sem. S. Adalberti Alumn. Diœces.
Quinque-Ecclesiens.

EX PRÆLECTIONIBUS

Rev. P. JOSEPHI PINTÉR, e Soc.
JESU, SS. Theol. Doctoris, ejusdemque Profess.
Ordin. nec non Inclytæ Facult. Theolog.

DECANI SPECTABILIS.

ET

Rev. P. ANDREÆ JASZLINSZKY, ex
ead. Soc. JESU, SS. Theol. Doctoris, ejusdemque
Professoris Ordinarii.

AUDITORIBUS OBLAT.

ASSERTIONES THEOLOGICAS
DE J. J. LUSTRIA,

24774

LIBRERIA
SANTOMIERSETEGO
SEMINARIUM
LUSTRIA

In fine
Anno 1800

TO ANTHONY ANDERSON, A. M. &
C. ...

BY PUBLICATION
Rev. P. ...

Rev. P. ...

...

S. MICHAELI

ARCHANGELO,

ARDENTISSIMO

DIVINI HONORIS VINDICI,

MAGNO

COELESTIUM EXERCITUM PRINCIPI,

CUJUS

PRÆPOTENTI VIRTUTE

REBELLIS DEBELLATUR LUCIFER,

QUEM,

QUIA FASTU ELATUS

COELI FASTIGIUM CONSCENDERE,

SUPER ASTRA SOLIUM EXALTARE

AMBIEBAT,

MUTARE SOLUM COMPRESSO FASTU

IN TARTARA DESCENDERE

COGIT MICHAEL.

AT-

ATQUE
JUBILANTE COELO,
TARTARO LUGENTE
TRIUMPHAT.

MERITO PRINCEPS,
QUI DIVINÆ GLORIÆ VINDEIX PRO-
BATUS EST.


HUIC
EXERCITIUM COELESTIUM DUCI,
IN TERRIS VISO
MAJESTATIS, & BENEFICENTIÆ
SPLENDORE.

Positiones suas Theologicas

D. D. D.

Cluus infimus

JOANNES ANDRASICS.



ASSERTIONES THEOLOGICÆ

DE JURE, ET JUSTITIA.

I. **D**ominium perfectum proprietatis est jus perfecte disponendi de re sua. Stat cum lege prohibente, imo & irritante. Licitus usus facti in rebus uno usu consumptibilibus est separabilis a Dominio, & defacto separatus apud FF. Minores. **II.** Clerici habent Dominium reddituum beneficalium, etiam superfluum. Religiosi etiam Professi, sunt capaces Domini in communi. Non Professi, qui retinent ad tempus Dominium bonorum suorum in particulari, impeditum lege prohibente, non desinunt esse veri Religiosi. **III.** Thesaurus, ubicunque inveniatur, attento præcise jure naturali, totus est inventoris, Sciens latere Thesaurum in agro alieno, potest communi pretio agrum emere, nihil dicendo de latente Thesauro, ac postea erutum sibi retinere. **IV.** Bona inventa, quæ sub nullius Dominio existunt, sunt statim inventoris jure naturæ, ut Thesaurus. Similiter bona derelicta. Bona perditæ, & incerta absque delicto, si Dominus eorum post sufficientem diligentiam adhibitam reperiri nequeat, cedunt inventori, nec obligatur jure naturæ ea in pias causas erogare. Secus est de bonis incertis ex delicto. **V.** Præscriptio legitima transfert Dominium in præscribentem etiam pro foro interno. Nequit inchoari cum dubio speculativo de rei proprietate, potest tamen continuari. **VI.** Contractus metu iniiti sunt Jure naturæ validi. Error quilibet circa substantiam, simpliciter irritum reddit contractum; circa qualitatem vero, etiam antecedens, non reddit irritum, sed solum rescindibilem, & si dolus proveniat a parte una contrahentium, rescindendum pro arbitrio partis deceptæ etiam ante sententiam Judicis, modo contractus sit solubilis. **VII.** Juramentum adjectum contractui jure naturæ invalido, non confir-

mat contractum; confirmat contractum jure solum positivo invalidum, aut rescindibilem, demptis paucis, relate ad effectus civiles. Contractus de opere turpi, necdum impleto, non sunt simpliciter invalidi, & obligant ex justitia ad præstandum, quod sine peccato præstari potest. Testamentum etsi non privilegiatum, destitutum solennitatibus a jure requisitis, validum est pro foro interno. VIII. Justitia est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Quatuor ejus species censentur. Sola commutativa est justitia stricte talis. Ex hac nequit creaturæ obligari Deus, at e converso creatura Deo. Judex non potest condemnare ad pœnam Capitis, vel membrorum, reum, juridice, quem privata notitia scit esse innocentem. IX. Possessor bonæ fidei, non solum rem, quæ adhuc exstat in se, vel in æquivalenti, sed etiam fructus naturales, imo & mixtos, perceptos tamen, & ut minus virtualiter extantes, tenetur Domino, ubi eum rescit, restituere, deductis tamen impensis. Possessor malæ fidei etiam fructus non perceptos, quos tamen Dominus rei probabiliter percepturus erat. Item omne damnum emergens Domino, & lucrum cessans. X. Non datur in foro interno obligatio ante sententiam Judicis reparandi damnum per culpam mere juridicam datum, si non præcessit culpa Theologica injustitiæ. Nec datur obligatio gravis reparandi damnum, tametsi grave, sed illatum per culpam Theologicam levem ex defectu plenæ deliberationis. Nec ex adverso oritur obligatio gravis reparandi damnum illatum leve, quamvis per culpam Theologicam gravem.



DE DEO UNO, ET TRINO.

I. **E**Xistentia Dei non potest longiori tempore citra culpam ignorari ab ullo rationis usum habente, & potest Atheis argumento a rebus visibilibus petito demonstrari, potest etiam contra Polytheistas demonstrari Deum unicum esse, & summe perfectum. II. Physica Dei essentia Theologicè considerata realiter omnes perfectiones tum absolutas, tum relativas; formaliter vero solas perfectiones absolutas complectitur. Perfectio autem quævis absoluta, Deoque adæquate intrinseca est & simpliciter simplex, & simpliciter infinita; Perfectio vero relativa quævis est quidem specialis, atque simpliciter infinita, non tamen simpliciter simplex perfectio. III. Simplicitas Dei excludit compositionem ex partibus corporeis, item distinctionem quamcunque realem, non tamen etiam distinctionem rationis ratiocinatae inter naturam, & perfectiones sive absolutas, sive relativas, item inter ipsas perfectiones absolutas. Immenitas Deum non modo secundum scientiam, potentiam, sed etiam secundum substantiam ipsam omnibus rebus creatis intime præsentem facit. IV. Visibilitas Dei admitti debet, non tamen ita, ut intellectus creatus suis viribus Deum videre possit: oculus autem corporeus videre Deum omnino non potest. Omnipotentia Dei facere potest, quicquid repugnantiam non involvit. Æternitas, quæ tota, & simul, & semper existit, est Deo essentialis. V. Scientia Dei non modo ad objecta necessaria, sed etiam ad contingentia nobis libera tum præterita, tum præsentia, tum etiam absolute futura, imo etiam ad conditionate futura se extendit; & necessaria quidem videt Deus per simplicem intelligentiam, contingentia vero præterita, præsentia, & absolute futura per scientiam visionis, conditionate futura per scientiam mediam. VI. Datur etiam in Deo vera voluntas, & libertas; Libertas in suis decretis est vitalis tendentia, & respectus contingens voluntatis Divinæ ad creaturas, qui tamen respectus subjective, & constitutive non involvit entitatem ab essentia Dei distinctam. VII. Providentia Dei gubernat omnia, peculiariter autem actiones nostras salutares; nempe quas dependenter a scientia media prædestinat. Prædestinationem tamen ad

coro.

coronam, & reprobationem ad pœnam esse factam post
merita, & demerita absolute prœvisa, colligitur tum ex
sacris Literis, tum ex Sanctis Patribus. VIII. Eadem
Dei Providentia non potuit salva libertate nostra actio-
nes nostras salutare prœdefinire post scientiam simplicis
intelligentiæ, uti nec prœdestinare ad coronam, nec re-
probare ad pœnas, nequaquam tamen repugnasset sive
prœdestinationem sive reprobationem fieri post scien-
tiam mediam. IX. Certum est dari in Deo tres Personas
distinctas realiter, & consubstantiales, videlicet Patrem,
& Filium, & Spiritum Sanctum, ita, ut quævis harum
Personarum sit vere, ac proprie Deus, rerumque omni-
um Creator, & tamen non sint tres Dii, sed unicus in
natura, substantia, & essentia Deus. X. Certum est con-
tra Arianos, quod secunda in Trinitate Persona vere,
& realiter producat a Patre, producit autem per in-
tellectum ita, ut intellectio sit principium quo remotum,
proximum vero sola Paternitas; certum pariter est, quod
Spiritus Sanctus procedat a Patre, & Filio, & quidem
siquam uno Spiratore, ac principio: qui si a Filio non
procederet, ab eodem non distingueretur.

O. A. M. D. G.



SERIES DISSERTATIONUM

A C

DISQUISITIONUM.



*D*issertatio de lingua primæva, & linguarum ad turrim Babelicam confusione.

*D*issertatio de Gigantibus.

*D*issertatio de turri Babelica.

*D*issertatio de materia, & forma veterum librorum, ac varia scribendi ratione.

*D*issertatio in Regionem Opir.

*D*issertatio de origine, & antiquitate circumcisionis.

*D*isquisitiones de vetustate Monetæ signatæ. Ad Gen. 20. 16.

*D*isquisitiones in Chronologiam, Annos, Menses, Dies, Horas Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, & Hebræorum.

*D*issertatio de veris, fictisque prodigiis, ac demonum, & Angelorum in corpora potestate.

*D*issertatio de Transfretatione Erythræi per Hebræos.

A 2

Dif.

- Dissertatio de Poësi veterum Hebræorum.*
- Disquisitiones de natura, causis, & effectibus
Lepræ.*
- Dissertatio de Moloch Deo Ammonitarum.*
- Dissertatio de Politia, sive ratione Juris dicen-
di apud Hebræos, & potissimum de Sanbedrio.*
- Dissertatio de Beel-Phegor, Chamos, cæterisque
Moabitarum Diis.*
- Dissertatio de Divortiis.*
- Dissertatio de suppliciis, quorum in sacra Scri-
ptura mentio.*
- Dissertatio de Mandato Josue, quo Solem, &
Lunam remoratus est.*
- Dissertatio de Pluvia lapidum in Chananæos. Ad
Josue 10. 11.*
- Dissertatio de Regione, in quam Chananæi puls-
i a Josue sese receperunt.*
- In tabulam Geographicam Terræ Promissionis
Animadversiones.*
- Dissertatio, qua Hebræorum Historia cæterarum
Nationum Historiis præstare ostenditur.*
- Dissertatio de priscis Hebræorum ædibus.*
- Dissertatio de Voto Jephthe.*
- Dissertatio de Origine, & Numinibus Philis-
thæorum.*
- Dissertatio de Samuele per visum Sauli objecto.
Ad 1. Reg. 28. 11. 12. Dis-*

Dissertatio de Thesauris a Davide Salomoni relictis.

Dissertatio de Templis veterum.

Dissertatio, Quid Naaman concedi sibi postulat ab Elisæo, ut coram idolo Remmon sese prosternere liceat?

Dissertatio de retrogradatione Solis in horologio Achaz.

Dissertatio de Præfectis Aulae, & Militiæ Regum Hebræorum.

Dissertatio de Regionibus, in quas Decem Tribus Israël traductæ sunt, & quem potissimum locum nostra ætate teneant.

Dissertatio in Tertium Librum Esdræ.

Dissertatio in quartum Librum Esdræ.

Dissertatio, An Esdras scripserit, sive restauraverit Libros Sacros?

Dissertatio, An Esdras veteribus characteribus Hebraicis Chaldaicos substituerit?

Dissertatio de Versione septuaginta interpretum.

Dissertatio in Vulgatam.

Dissertatio in Dæmonem Asmodæum.

Dissertatio de ordine, & successione Summorum Sacerdotum apud Judæos.

Dissertatio de re Militari veterum Hebræorum.

Dissertatio in morbum Jobi.

- Dissertatio in illud Jobi 29. 18. Sicut palma multiplicabo dies.*
- Dissertatio de Cognatione Judæorum, & Lacedæmonum.*
- Dissertatio, An Arca Fæderis Templo restituta sit post captivitatem Babylonicam?*
- Dissertatio in Titulos Psalmorum.*
- Dissertatio in geminas illas Hebræas voces Lamnazeach, & Sela.*
- Dissertatio in illud Psalmi 21. v. 18. Foderunt manus meas, & pedes meos.*
- Dissertatio de Excantatis serpentibus. Ad Psal. 57. v. 5.*
- Dissertatio in Auctores Psalmorum.*
- Dissertatio in Textum, & veteres Psalmorum versiones.*
- Exercitatio in Poësim universam, & Hebræorum potissimum, D. Abbatis Fleury.*
- Dissertatio in Musicam veterum, & potissimum Hebræorum.*
- Dissertatio in Musica Instrumenta Hebræorum.*
- Dissertatio in Quindecim Psalmos Graduales.*
- Dissertatio, An veteres Legislatores, & Philosophi e Scriptura Leges suas, & Moralem scientiam hauserint?*
- Dissertatio de Connubijs Hebræorum.*

Dissertatio de Authore Libri Sapientiæ.

Dissertatio de Origine Idololatriæ.

Dissertatio de natura Animæ, & ejus post mortem statu ex sententia veterum Hebræorum.

Dissertatio de Funeribus, & sepulturis Hebræorum.

Dissertatio de Re Medica veterum Hebræorum.

Dissertatio de Re Cibaria Hebræorum.

Dissertatio de Systemate Mundi ex veteri Hebræorum sententia.

Conspectus Historiæ propheciæ Orientalis a Salomone ad captivitatem Babylonicam, ad illustrandam Historiam Hebraicam in Prophetis expressam.

Dissertatio in Illud Isaïæ 7. c. v. 14. Ecce! Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Dissertatio de dissipato Exercitu Sennacherib. Isaï. 37. c. v. 36.

Dissertatio de Forma JESU Christi; Eleganti, nec ne? Ad illud Isaïæ 52. c. v. 2. Vidimus eum, & non erat aspectus, neque decor.

Dissertatio de Characteribus Messia, juxta Hebræos JESU Christo recentiores.

Dissertatio de Rechabitis.

Dissertatio de Scholis Hebræorum.

Dissertatio de Re Vestiaria Hebræorum.

*Dissertatio, An Decem Tribus e captivitate re-
duces Regionem Israëliticam repetierint?*

*Dissertatio de Gog, & Magog. Ad Ezechielis
c. 38.*

Dissertatio de Septuaginta Septimanis Danielis.

Dissertatio de Metamorphosi Nabuchodonosoris.

*Dissertatio de Statu Religionis in Ditionibus Ju-
da, & Israël, post factam utrimque secessionem.*

*Dissertatio de Idololatria Israëlitarum in deserto,
ac potissimum de Deo Rephan, seu Rempba,
Ad Amos 5. c. v. 26.*

Dissertatio de Pisce Jonam vorante.

*Dissertatio de Numinibus Phœnicum, sive Cha-
nanæorum.*

*Historia Gentium Judæis finitimarum, illustran-
dis vaticiniis ad eas spectantibus.*





DISSERTATIO

*De lingua Primæva, & linguarum ad turrim
Babelicam confusione.*



IN varias, diffitasque linguas discretos mortales homines prophani Scriptores animadvertentes, veram ejus rei originem scrutaturi, varia excogitarunt systemata. Auctumarunt nonnulli, sub ipsum mundi exordium, aureum regnum tenente Saturno, non omnes homines tantum, sed & bruta etiam, pisces, aves uno, eodemque sermone tanquam vernaculo usos. A) Additur in fabulis, felicitatem suam minime intelligentes homines, missa ad Saturnum legatione, immunem a lecho vitam postulasse, minus æquum reputantes, privilegium illud, quod ultro serpenti collatum fuerat, ut scilicet singulis annis ætatem suam vetera spolia exuens innovaret, hominibus invideri.

A 5

deri.

A) Plato in Politic. Philo de confus. lingu. p. 320.

deri. Minus æquis auribus accipiens rem Saturnus, non postulata tantum negavit, sed pœnam inflixit, ea idiomaticis communionem privatos illos volens: quod in hominum lingua dissidium mutuo se invicem separare illos coëgit.

Qui fortuito casu, sive humenti terra solis calore fota productum hominem autumarunt, in ea fuerunt persuasione, A) terram ubique, qua late patet terrarum Orbis, homines effuisse, nulla usos certa linguarum, vel signorum methodo, ut latentes cogitationes suas aliis significarent; quæ tamen omnia temporis successu invenerint homines, ne mutua inter se consuetudine privarentur, varia inducentes vel idiomata, vel signa, prout casus, ingenium, usus in singulis tulit. Horatius Satyr. l. 1. Satyr. 3. v. 99. 100.

*Cum prope serunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus; glande atque cubilia propter
Unguibus & pugnis - - - pugnabant - - -
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent,
Nominaque invenere. - - -*

Ab ipso rerum exordio certa indita rebus ipsis nomina putare, stultitiæ damnat Lucretius B)

Putat

A) Diodor. Sicul. l. 1. p. 5. seu 80. B) Lucretius l. 5. v. 1040. Vide & Vitruv. l. 2. de Architect. C. 1. *Primos homines sine sermone articulatæ usque diu in Cavernis terra ferarum instar habitasse, ac crebris nutibus, spiritu vocali, & voce rudi animi sensus designasse; ac sic demum ex eadem voce de eadem re sepius repetita vocem articulatam, vocabula significativa, ac sermonis usum originem esse.*

- - - Putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est. - - -

Addit idem Lucretius :

*At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina verum.*

Varia hæc Systemata expressit ignorantia, qua de vera hominis origine tenebantur Pagani; neque enim sive homines ex uno quodam prodiisse *) sive primum illum hominum Parentem, qua erat a Deo præditus sapientia, singulis animantibus peculiariter nomina assignasse A) norant. Qua primus ille hominum parens utebatur, lingua ad filios transmissa, pura putaque sine alterius admixtione ad diluvium usque servata est; vel saltem veluti acceptum a primo homine depositum sanctè custodivit iustorum genus Seth, Enos, Enoc, Lamec, Noë. Cum autem Noë, velut alter Adamus, novos incolas mundo daret, eandem pariter, quam prior ille Adam, linguam in filios transfudit, & longe lateque cum illis propagavit. Factum inde, ut post sæculum circiter a Diluvio, B) cum auctos plus nimio homines unus idemque locus non ferret, posceretque divisionem, sermo unus esset omnibus; Gen. II. I. 2. *Erat terra labii unius, & sermorum eorundem.*

Fate-

*) Gen. I. 26. A. 17. 26. A) Gen. 2. 19. B) A. M. 1757.

Fatemur quidem, postremum hoc scripturæ testimonium, *Erat terra labii unius, & sermorum eorundem*, varie apud varios exponi: sunt enim, qui de consiliorum inter homines assensu exponant, a) ut communibus suffragiis decretam turris novæque item Urbis ædificationem seorsum omnes probarent. Hanc ipsam interpretationem secutus videtur Philo, quam ad allegoriam omnia detorquet. b) Hæc sane phrasis, *labii unius*, cui altera respondet, *sermorum eorundem*, summum plurimorum consensum exprimit aliquando, ut in illo Jos. 9. 2. *Congregati sunt (Reges Chananæ) pariter uno animo, eademque sententia.* Hebræus: פה אהר Eodem ore; septuaginta: 70. Ἄ μα πάντες *Simul omnes.*

S. Philastrius Brixienfis Episcopus hæref. 56. hæresis nota inurit sententiam illorum, qui ante Babelicam turrim unum tantum vernaculum sermonem in mundo obtinuisse defenderent. Idem autem fuisse tunc hominibus, quod & Angelis, privilegium censet, ut singuli omnes callerent linguas. Sed cum, addit, tanti doni largitori Deo minus æqua, facta ab illo secessione, rependerent, eoque perduellionis spiritu turrim ædificandam aggredirentur, actutum linguarum oblivione multati sunt: *Oblivione inimissa a Domino, vix discere præ-*

a) Joann. Cleric. in Gen. 11. 1. Theologorum quorundam Hollandiæ Epistol. dogmat. Epist. 19. b) De confus. lingu. Pag. 322.

*prævalent, non omnes, nec multas, sed vix
paucas linguas.*

Vulgo tamen Patres, & Interpretes, qua
Judæi, qua Christiani, de unico in mundo
vernaculo sermone dictum illud Mosaicum in-
terpretantur. Nec sane aliter obvius, pronus-
que sensus insinuat. Lectoris sui animum ad
excipiendam linguarum confusionem præpara-
turus Moyfes, illud antea animadvertendum
duxit, nimirum uno ad id usque ore locutos
omnes; & cum his verbis æquivocum aliquid
subesse intelligeret, mentem suam apertiori-
bus aliis prodens subdit: *Et sermonum eorundem.*
Ad sententiam S. Philastrii quod attinet, illi
sane de singularitate sua præjudicatum est,
quippe quæ refragatores habet reliquos omnes
Patres, contraria plane ratione Textum Mo-
saicum interpretantes.

Qua vero ratione linguarum ista confusio
induceretur, nec satis assequimur, nec satis in-
ter Authores convenit. Prodigio Divino fa-
ctum aliqui putant, ut maximæ hominum por-
tionis phantasia simul & memoria penitus in-
versæ, notum antea sermonem in novum alium
transmutarent. Hanc rerum inversionem An-
gelorum ministerio inductam alii tuentur.

Non promptam aliquam, subitamque lingua-
rum inversionem agnoscit S. Gregorius Nyssen-
sus; A) sed illud tantummodo scripturæ ver-
bis

*) Orat. 12. Cont. Eunom. pag. 353. 354.

bis insinuari opinatur, homines scilicet tamdiu uno sermonis vinculo coaluisse inter se, quamdiu uno omnes in loco subsisterunt: cum deinde in varia abeuntes loca inter se dissociarentur, simul & vinculum sermonis abrupterunt, suum singuli idioma secuti, ut neque communionem habere sermonum sibi invicem possent. Porro nihil in ea sermonum discretione sibi Deus peculiare reservavit; sed omnia naturæ perficienda reliquit, singulis hominibus facultate permessa, ut quacunque mallent voce, diversa plane ab ea, cui illuc usque assueverant, intimos animi conceptus significarent.

D. Clericus, A) qui non linguarum, sed consiliorum concordiam in textu illo Mosaico agnoscit, in divisione pariter & confusione dissidium animorum, non sermonis pariter invenit. Factum inde autumat, ut facta inter homines sedium & locorum discretione, & idiomatum quoque discrimen natura ipsa insinuante induceretur. Tandem Simonius B) linguarum ad turrin Babelicam confusionem non alia ratione ad Deum Authorem referri posse autumat, quam quod ipse providentiæ suæ consilio disposuerit, ut homines per varia mundi loca dispergendi vario pariter assuescerent sermoni: quod naturæ legibus apprime
con-

A) In Gen. 11. & Epist. 19. Theologor. quorundam Hollandor sententiæ. Gallicè. B) Hist. Critica V. T. l. 1, c. 14, 15. & Respons. ad Theolog. Holland. c. 20.

consonum est, ut quisque, quomodo maxime voluerit, intimos animi sensus exprimat. Est igitur Deus sermonum discretionis Author ea tantum ratione, quod ratione utendi facultatem hominibus indiderit, unde variarum in mundo linguarum discrepantia.

Porro tria ista systemata, in unum fere convenientia, ut omnem prodigii a scriptura insinuati rationem evertant, rem maxime naturalem & simplicem mystica quadam & figurata locutione a Moyse descriptam insinuant. Ait enim Moyse Gen. 11. 6. 7. *Descendit Dominus, ut videret Civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus est populus, & unum labium omnibus; ceperuntque hoc facere, nec desissent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare Civitatem.* Tanto hoc verborum apparatu exponeretur tantummodo, Deum permissa inter homines diffensione id commisisse, ut discretis inter se locis & sedibus, alii ab aliis segregarentur; quæ locorum separatio sermonum discrimen invexerit.

Semel hac admissa scripturarum exponendarum ratione, ut scilicet evitandorum prodigiorum gratia in nova abire systemata singuli permit-

mittantur, & ea systemata, quæ historicum & literalem sensum, apertissimum licet, corrumpant & evertant; quid erit amplius in sacris libris asserendum? Prodigia, expressa licet & clara, cum rebus maxime simplicibus & ad naturæ leges confundentur. Ita fiet, ut nimiam in prodigia credulitatem, & populorum in ea re licentiam refrænaturi, quidquid validum est & maxime ad hominum captum in Religione asserenda, tollatur. Est igitur, cur literalem sensum obvium pronumque hoc in loco sequamur; neque enim ab eo recedere ulla cogit necessitas: statuumque cum Patribus & interpretibus omnibus, unicam distinguendarum linguarum causam in Deum referri, qui ultionis illius genere animadvertendum duxit in primos temerarii illius operis Authores, aggressoresque.

Pro familiarum numero linguarum pariter discrimen inventum fuisse, una ferme obtinuit apud veteres sententia. A) Principes autem familiarum 70. censentur, ex quibus totidem linguarum genera inventa. Sed unde Septuaginta familiarum tantummodo Principes? Ex Deuteronomio 32. 8. inquirunt. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando Separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.* Porro filii Israël

in

A) Laſan. Epiphani. Euseb. Clem. Alex. Hieronym. August. Philostr. Arnob. Beda, alii passim. Vide Natal. Alex. Histor. V. T. c. 7.

in Ægyptum cum Jacob descendentes 70. enumerantur Gen. 46. 27. *Omnes animæ Domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Alii 70. linguas e pari filiorum Noë censu referunt; Moyse enim Authore Japhet genuit 14. filios, Cham 30. Sem 26. omnes simul 70. Huic hominum numero duos addunt LXX. Interpretes, videlicet in genealogia Japhet *Elifam*, & in genealogia Cham *Cainanum*. Ephorus, aliique apud S. Clementem Alexandrinum Strom. L. 1. ad 75. linguas recensent; ad 120. S. Pacianus Barchinonensis Epist. contra Novatian.

Sed inania omnia; quando enim locum Deuteronomii ad Babelicam dispersionem referendum constaret, quod incertum est maxime; Nonne duodecim tantum familiæ recensendæ essent, quod totidem haberet Israël filios? Credimus autem numerum istum familiarum minorem habitum fuisse ab assertoribus hujus sententiæ, quam ut tantum opus in se susciperent; quare prorogandum censuerunt. Æque autem potuisset pro numero Israëlitarum ex Ægypto egredientium totidem pariter homines in turris constructionem impendere, nempe ad 600000. sed plus nimio aucta ædificantium turba videbatur. Sed quamam conjectura deducendum esset, septuaginta tantummodo Principes familiarum, quo tempore imminebat dispersio, in mundo fuisse? *Elisa & Cainanus,*
Calmei Disert. T. 1. B quod

quod in septuaginta tantum legantur, nihil fecerunt negotii assertoribus Hebræi, & Vulgatæ. Qui vero statuunt nec Arphaxad, nec Sale, nec Heber conscios fuisse nefarii moliminis, sicut & a pœna in perduelles inflictâ immunes, illis certe linguarum numerus minor est, quam septuaginta. Jectan filius Heber, & tredecim ejus liberi nondum facile nati erant, cum linguæ dispescerentur; en novum in septuaginta linguas discrimen. Ad hæc, quæ poterant ratione septuaginta linguarum genera apud homines distingui tempore Nemrodi, & Noëmi ætate inclinante? Hodie pariter cum nullus mundi locus suo careat habitatore, vix totidem recenserentur, nisi una in varias divideretur, & nulla cogente necessitate non jam idiomatica distinguerentur, sed dialecti.

Sed modo ad vernaculum illum & communem hominum sermonem regrediendum. Narra-
 rat Herodotus l. 2. c. 2. Psammetichum Ægypti Regem indagaturum, quinam inter mortales homines primi in mundum paruissent, singulare illud consilium inivisse. Reputabat igitur vir solertissimus, siquidem fieri potuisset, uti in cognitionem veniret primæ omnium linguæ; exinde pariter affecuturum se, qui primi fuerint in orbe homines; quare duos recens natos infantes alendos commisit Pastori, mandatis onerato, ut alterum ab altero seorsum haberet, nunquam coram illis loqueretur,

&

& ab hominum confortio teneret secretos; exploraturus inde, quo tandem sermone conceptus illi suos promerent. Cum igitur loqui præ ætate valerent, pueri ingeminabant identidem *beccos*; quod animadvertens Pastor Regi nuntiavit, qui vocem illam cujus esset sermonis vocabulum investigans,prehendit tandem apud Phrygas panem *beccos* appellari. Ex quo recta ille consecutione intulit, vernaculum populi illius sermonem primigenium fuisse a natura datum hominibus, eamque gentem omnium esse vetustissimam.

Hunc Regem non Psammetichum, sed Bocchorum appellat, lapsu quodam memoriæ, uti credimus, Constantinus Manasse in Breviar. Histor. II. Quod autem hic maxime animadvertendum, illud ducimus, Regem hunc primorum mundi hominum in cognitionem venturum non rectam viam tenuisse. Quæ enim e sermone duorum illorum infantium deducitur conjectura, fallere potest maxime. Falsa enim Rex constituit, reputans, naturalem quandam hominum esse linguam, unde cæteræ derivarentur, veluti unius ejusdemque idiomatis dialecti; ponens insuper terram alios & alios homines in variis mundi locis effudisse: quod Ægyptiorum fuisse systema Diodoro Siculo Authore dicimus. Referunt enim homines universi genus suum a Deo, qui Adamum & Evam condidit, illos primos loquendi, ratiocinandi,

imponendi rebus nomina Authores; omnium enim illi sapientissimi, expeditam habebant ratiocinandi, & loquendi, utpote perfectæ jam ætatis homines producti, facultatem. Non nisi per errorem quis opinaretur, datam fuisse hominibus certam sermonis rationem, quemadmodum sua habent a natura indita bruta quælibet signa, veluti clamores, sibilos, & cantus. Neque id etiam statuendum, tanquam omnibus æque brutis peculiare sint a natura datæ voces. Avis recens exclusa, & longe ab avibus sui generis innutrita, eorum potissimum fonos imitabitur, quos stridentes forte vel canentes instrumentisque ludentes audierit. Sunt etiam, quæ humanam vocem imitentur. Ita pariter & cum infantibus longe ab hominum consortio innutritis continget, ut fonos exprimant brutorum, qui forte tenellis auribus insonuerint.

Sequestrati illi Psammetichi infantes balantes oves, vel forte capellas audierunt: balatus illos exprimebant, clamantes illi pariter *buccos* vel tantum *beec*; *os* enim Græca est terminatio ab Herodoto addita. Si alterius cuiusque voces auribus illorum insonuissent, imitatione retulissent actutum. Forte etiam casu vocem illam pronunciarunt, quomodo immediatas quandoque voces, nihil in nostro quidem sermone sonantes, edimus interdum, varios mentis conceptus significaturi; contigit autem

autem quandoque, ut quæ nullam habent in nostro quidem idiomate significationem voces, aliquos non inanes referant in Hebræo, Arabico, Græco, Germanico. Quid ergo? an recta inde consecutione inferretur, indicia esse illa primigeniæ & naturalis linguæ, quod nobis inopinato, & immeditatis occurrant? Si hæc absorta, absortum est pariter Phrygum linguam primigeniam, sicut & vetustissimos esse in mundo Phrygas inde constitui, quod duo infantes casu *beccos* clamaverint, cui voci Phrygorum sermone sua est significatio.

Quando autem fateremur, naturalem esse aliquam hominis linguam, vitiosa esset semper argumentatio illa: vernaculus Phrygum sermo naturalis illius linguæ voculam retinet; non alia est ergo naturalis hæc lingua, quam Phrygum. Porro ex singularibus nihil nisi singulare statuas. Ad hæc, Phrygas Psamme-tichi ætate primitivam illam linguam servasse quis ad sensum demonstrat? si enim in alium transisset sermonem, tota Regis Ægypti ratiocinatio corrui.

Si naturalis quædam daretur lingua, nemo hominum illam non calleret, vel saltem nullo negotio, utpote naturæ omnium & genio consonam, discerent. Nemo est autem, qui natura magistra idioma quodpiam edoctus loquatur. Exercitatione linguas discimus & studio, leviori quidem maternam, quam una veluti

cum lacte fugimus; improbo vero cæteras. Suppetunt etiam exempla quædam ab experientia; infantes enim ab hominum commercio nullam quidem vocem, nisi edocti, dare novērunt. Ita narrat Purchas A) de puero, jussu Melabdin Echebar Regis Indostan, seu Magni Mogorii longe ab hominum consortio innutrito. Legimus apud Joannem Radvitz, B) anno 1661. inventum apud Polonos in saltu quodam Lithuaniae geminos novennes pueros cum urfis gregatim errantes. Non facili labore captum ex illis unum coram Rege statuerunt; quem baptismate initiavit Episcopus Posnaniensis, levavit e sacro fonte Regina. Puer autem ille belluam alte imbiberat adeo, ut quanquam salvis omnis loquelæ organis, nec sermonem ullum proferret, nec discere unquam potuerit.

Quærendus est ergo inter vulgares primigenius ille Adamo inditus sermo. Sed variæ ca de re sententiæ. Hebraicam linguam maxima Scriptorum pars præfert; alii Syriacam malunt; alii Chaldæam, vel Æthiopicam, vel Armenam; nemo tandem ex orientalibus vetustatis privilegio in eo, quod attinet ad sermonem, alteri concedit. c) Goropius Becanus serio docet, Belgicam linguam ipsissimam esse
 primi

A) Purchas I. 1. c. 8, apud Uvalton. Prolegom. I. N. 3.

B) Jo:n. Radvitz Carm. Alc vide Moreri. V. Ursin. C) Vide Simon. Histoz. Critic. V. T. I. 1. c. 14.

primi hominis vernaculam. Sunt tandem inter viros doctos non rari, qui primam illam linguam intercidisse penitus arbitrantur; alii voculas quasdam illius remanere censent in Hebræorum cæterorumque orientalium linguis disseminatas, quarum tamen radices fere omnes latuerint. Singula modo ad examen revocanda.

S. Gregorius Nyssenus Orat. 12. contra Eunom. p. 354. omnium, quos noverimus, primus docuit, matricem illam linguam intercidisse; tenere enim se ait a viris in scripturarum scientiâ doctissimis, Hebraicam linguam non eandem referre antiquitatis indolem, quam aliæ nonnullæ; Deum autem inter cætera, quibus populum suum donavit, prodigia, illud etiam non exiguum contulisse, ut in ipso egrediendi ex Ægypto articulo novam illis linguam antea ignotam, & singulorum mentibus infusam traderet. Laudat in eam rem illud Psal. 80. 6. *Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.* Si enim hæc ad Moysen, ait ille, referantur, non nisi de Hebraica lingua exponenda sunt, qua sola in scribendo usum illum scimus.

Judæis facile opinionem hanc suam de prodigio in exitu populi ex Ægypto debet S. Gregorius Nyssenus; A) sed Judæorum auctori-

B 4

tas

A) Theodoret. Quæst. 61. in Genes. hæc eadem insinuat, laudans pariter in eam rem illud Psalmi 80. ut de S. Gregorio jam attulimus.

tas quanti facienda sit, ignorat nemo. Porro locus ille Psalmi illud tantum insinuat, Josephum, id est Israëlitam ex Ægypto egressos vocem loquentis Domini tunc primum audivisse. Quæ vero e Doctorum quorundam virorum animadversione didicisse se tradit S. Episcopus, linguam nempe Hebraicam nescio quid novi referre, quod nunquam vetustiores linguæ spirarent, id maxime repugnat doctissimis nostris Criticis, & Hebraicam linguam maxime callentibus, qui in Hebræorum sermone nihil non vetustum agnoscunt; concisus est enim, simplex, exprimendi vim habens singularem, fœcundus, cum sit plurimum in cæteris orientalium linguis regnantium vocum fons & origo.

Recentiores illi, qui in S. Doctoris sententiam concesserunt, altero sibi argumento persuadent, primigeniam illam linguam interiisse. A) Observant igitur illi, in ipso Moyse, totaque Babelicam confusionem præcedenti ætate plura obtinuisse nomina, quorum nulla est in vernaculo Hebræorum sermone significatio; eorum vero, quorum in Hebræo occurrit radix, illa potuit Moyses per se aptasse, cum scilicet vetera illa nomina in suam linguam ver-

a) Vide Grot. ad Genes. 11. 1. & not. ad lib. de Verit. Relig. Christ. N. 16. Huet. Demonstr. Evangel. propos. 4. c. 13. Cluver. Germaniæ antiq. pag. 74. Georg. Harn. not. in Sulpit. Sever. l. 1. p. 22. Hentze. Kipping de lingua primæva, Art. 6.

verteret; forte enim vir ille sapientissimus novit Hebraicas illis etymologias, quas modo in ejus scriptis animadvertimus, addere. Similia notant exempla in variis Hebræis, Græcis, & Latinis Authoribus, pares etymologias, & allusiones referentibus. Majora tamen in Hebræorum sermone, quam in cæteris aliis orientalibus linguis primævæ illius vestigia superesse, ultro quidem concedunt; negant vero ipsissimam esse Adamicam, & omnium, quotquot unquam fuerunt, vetustissimam.

Sed his omnibus duo reponenda. 1. Hebraici sermonis multa nos hodie latere, nec proinde monstri loco habendum, si radices plures vel ignoremus, vel in decursu tot sæculorum intercuisse constet. In lectione sacrorum librorum nunquam non animadvertunt viri docti voces, quarum radices frustra nisi in linguis Arabica, Chaldæa, & Ægyptiaca quærerent. Familiares illæ erant Hebræis, ut ex ejus gentis Scriptoribus intelligimus, sed longa desuetudine antiquatæ penitus interciderunt.

2. Non abs re opinamur, primævæ linguæ radices plures in confusione Babelica & deinceps intercuisse, uti vernaculo Græcorum, & Latinorum sermone, multo sane recentiori, reipsa accidisse constat: quot enim veteres in illis radices, & voces abrogatæ jam & neglectæ nonnisi in vetustis eorum Scriptorum ope-

ribus servantur? an ergo recta inde consecutione inferamus, Græcum & Latinum interitite; vel illis salvis, eodem illo argumento Hebraicæ, vel Adamicæ linguæ casus probaretur?

Theodoretus quæst. 60, 61. in Gen. Amira Præfat. in Gramm. suam Syriacam, Myricæus Præfat. in Gramm. suam Chald. Aliique montis Libani Maronitæ, primævæ linguæ honorem Chaldaico, vel Syriaco vindicantes, rem faciunt pietati quidem in patriam suæ, non criticæ exactissimæ maxime conducentem. Nomina *Adam, Abel, Eva*, & alia multa radicem habent Chaldaicam, ideo scilicet, quod hæc furculus sit Hebraicæ; & quæ nunc exhibetur inter duo hæc idiomata similitudo, major olim & ab initio spectabatur. Quod autem vetustatis privilegium Hebraicæ supra Chaldæam linguam asserit, illud est non contemnendum, quod illa concisa sit præ ista maxime, & simplicior.

Duas hæc sententias conciliaturi viri quidam docti autumarunt, Chaldæum & Hebraicum unum esse eundemque sermonem; quare cum Theodoretus Syriaci vel Chaldæi vetustatem prætulerit, nihil aliud eo nomine insinuatam ab illo volunt, quam veterem Hebraicum sermonem, quem cum vernaculo Regionis suæ confuderit. Revocant in eam sententiam Philonem, asserentem versionem septuaginta e Chaldæo adornatam fuisse; sicut

&

& Legem Chaldaicis literis traditam ignotam exteris diu latuisse; a) ex quo utique intelligimus, inter Chaldæam Hebræamque linguam nullum fuisse viro huic erudito discrimen. In eam ferme Theodoreti interpretationem concedunt Villalpandus, b) & P. Thomassinus; c) quibus visum est, Theodoretum inter Affertores vetustatis Hebraicæ linguæ recensere.

Quo vero Philoni duas hæc linguas confundenti reponamus, nunquam fieri potuisse animadvertimus cum S. Hieronymo in Daniel. c. i. ut Rex Nabuchodonosor tres illos pueros officiis aulæ Chaldææ destinatos erudientos in Chaldæorum idiomate traderet, siquidem Hebraicus cum Chaldæorum sermone confunderetur. Nec Eliacim loquentem Hebraicæ ad Legatos Ezechix Regis Judæ d) Rabfacem obsecrasset, ut Chaldaice potius vel Syriace loqueretur, ne populus, qui forte in mœnibus aderat, dicentis verba auscultaret. Experimento etiam quotidiano discimus, quam vera de se testaretur S. Hieronymus Præfat. in Dan. nimirum post improbum in literis Hebraicis studium, iterum esse nobis laborandum, ut Chaldæum addiscamus.

Ad

a) Philo de vita Moyfis l. 1. pag. 657. 658. 659. b) Appar. Urbis ac Templi t. 3. pag. 372. Col. 2. c) Methodo ad docendas & discendas linguas l. 2. c. 1. art. 11. pag. 139. d) 4. Reg. 18. 26.

Ad Theodoretum quod attinet; frustra adduceretur in patrocinium illorum, quibus Hebraicæ linguæ vetustas probatur; quo enim in loco de primæva illa lingua agit, ille facta Chaldæum inter & Hebræum collatione, primum illum alteri præfert. Non ergo utramque linguam confudit.

Veteres illæ etymologiæ, Adamicæ linguæ reliquiæ, ideo forte in Chaldæo illo supersunt, quod vernaculus Chaldæorum sermo Hebræi esset dialectus; Ex quo factum, ut in utroque illo eadem pariter radices deprehenderentur. Ad hæc, sunt quidem, fatemur, radices quædam in Chaldæo, frustra in Hebraico quærendæ; sunt vicissim & aliæ in Hebraico quidem superstites, in Chaldaico nihil habentes simile. ita e. g. legit Hebræus A) *Hæc appellabitur Ischa* id est (Virago) Chaldæus autem B) *hæc appellabitur mulier* (Itteta) quia de viro suo sumpta est (Mibbaalah.)

Quod Amira maxime urget argumentum, illud est. Abraham ejusque progenitores Chaldæam referebant Originem; quare Chaldæo, antequam Hebraico, tanquam vernaculo utebantur sermone; superat ergo Chaldæus vetustate sua Hebraicum. Cui reponimus, 1. Inter geminas hæc linguas satis olim convenisse: facile proinde utramque callens Abrah-

A) Gen. 11. 23. לואת יקרא אשה בי מאיש לקחה
 B) Chald. לדא עקרי אתתא ארי מבעלה נסבת דא

hamus, cum in Chanaanitidem veniret, loquentes Chananæos, quorum est idem ac Hebræus sermo, percipiebat. 2. Fac autem Abrahamum Chaldæo, antequam Hæbraico, assueviffe? Quid inde? an proinde Chaldæus vetustate potior est Hebræo? ut iudicium de hac quæstione feratur, res ipsa in examen revocanda est, & utriusque monumenta expendenda.

3. Quanquam Hebraicus sermo ex tunc a Chaldæorum vernaculo facile distingueretur, certo tamen constat, Abrahami familiam Hebraico assueviffe, antequam in Chanaanitidem transmigraret: cuius rei certum exhibent argumentum Hebraica nomina ipsius Abrahami, Saræ uxoris ejusdem, sicut & parentum, fratrum, atque nepotum.

Cum Jacob in Mesopotamiam veniens ad Labani avunculi sui ædes divertisset, nullo negotio responsa dabat, excipiebatque. Utriusque uxoris illius atque obstetricum, sicut & filiorum nomina Hebraicum sonant; nec nisi ex Hebraico petuntur allusiones, quas in eorundem nominum impositione pater sibi proposuerat. Non ergo nisi temere prorsus inferimus, Abrahamum antea Chaldæo assueviffe, quam Hebraico. Si Chaldæi & Babylonii originis suæ Authores habuerunt Cham & Chus, quemadmodum facile suadet Nemrod filius Chus, imperii sui sedem Babylone constituens;

Si

Si hæc, inquam, vera sunt, monstri profecto loco non habebitur, si Abraham, & ejus familia genus e Semo referens, purum putumque Hebraicum creparent, alterum illum profecto a Chaldaico, quo Babylonii utebantur. Eundem Hebraicum vernaculum habebat Labanus, quemadmodum ex impositis nominibus ab ipso & Jacob monumentis ab utroque in monte Galaad erectis Gen. 31. 47. 48. Satis constat.

Goropius Becantis, Cimbricæ seu Belgicæ linguæ antiquitatem demonstraturus, rem totam egisse se putat, si etymologiis quibusdam ex ea lingua, ægre ille quidem, Hebraica primorum parentum nomina exponat. Ita e. g. *Adan* deducit ex Belgico *bat-dan*, agger invidiæ, veluti si primus ille hominum parens agger esset invidiæ oppositus. *Eva* ex *Eu-vath*, id est vas sæculi, erat enim Eva hominum germen, & principium. *Abel* ex *bat-belg*, odium belli; illatum enim in se a Cain bellum injustum Abel execratus est. Tandem *Cain* ex *Cait-ende*, id est malus finis. *Noë* ex *nos-acbt*, qui necessitatem cogitando prævidet. Sed Lectorum patientia abuteremur talia referentes: quid refutantes? Quæ, rogo, lingua antiquitatis sibi privilegium non assereret, si non dissimiles etymologiæ valuerint?

Arabes, Armeni, Ægyptii, Sinenses, Æthiopes hæc pro se afferunt. Plura, inquit il-

li. primorum parentum nomina suam habent respondentem in nostra lingua significationem; Regionem nostram frequentarunt vetustissimi illi Patriarchæ, gens etiam nostra cum vetustissimis certat: his profecto omnibus persuademur, vernaculum apud nos sermonem ipsissimum esse Adamicum. Verum singula hæc singillatim multum plane a demonstratione recedunt; omnia vero simul conveniunt ex his gentibus nulli. Vernaculus Armenorum, & Syrorum sermo idem re ipsa habendus est cum Chaldæo; Chaldæum vero ex Hæbraico derivatum constat. Hebraici pariter furculus est Arabicus, qui sane originis suæ similitudinem adhuc refert. Arabum pater fuit Ismaël filius Abraham; quare vetustate illi quidem Abrahamum non superant; nec proinde majorem sermonis referre possunt antiquitatem, nisi per Abrahamum ad usque posteros Noë Babelicæ turris ædificatores ascendant; tunc autem æquum illis jus erit cum Israëlitis, genus ex Abrahamo per Isaac referentibus. Re ipsa tamen potior erit Israëlitarum causa, quod & Patriarcharum series purior apud istos, quam apud Arabes, manserit, & multo sint Israëlitis vetustiora, ac certiora, quam apud alias quascunque gentes documenta. Moyfes eodem sermone loquebatur ac Abraham; Abraham vero eodem ac Thare: hic, uti credimus, eodem ac Sem & Noë. Hæbræis hodie integrum manet ejusdem
lin-

linguæ Mosaicæ depositum; eosdem Legislatoris libros servant, legunt, & legendo intelligunt. Paria de se prodant Arabes, & reliquæ per orbem nationes.

Ægyptii ac Æthiopes nostræ ætatis negotio multo difficiliori linguæ suæ antiquitatem supra cæteras omnes efferrent; carent enim primævæ linguæ suæ certioribus documentis, vel si quæ suppetunt, intellectu non percipiuntur. Servantur equidem nostra adhuc ætate in sacra Scriptura Græcisque authoribus veteris Ægyptiorum historiæ fragmenta; quibus tamen gentis illius privilegia nihil juvantur. Quæ de Psammeticho, experimento duorum segregatorum ab hominum commercio infantium primævam linguam explorante, habet Herodotus, satis probant, Ægyptios nihil de linguæ suæ vetustate præclare sensisse. Constat etiam scripturæ testimonio, primum Ægyptiorum authorem fuisse Mizraim filium Cham; æque autem certum est Chanaan filium Cham, & fratrem Mizraim Hebraicæ locutum. Cur ergo non æque certum erit, Mizraim, ejusque filios eodem vel non absimili sermone ab initio usos? Ex hoc autem intelligimus, Ægyptios etiamsi linguam suam ex Adamo repetendam optimis argumentis demonstrare potuissent, nihil inde aliud deducturos, quam quod Hebræorum, vel Phœnicum lingua omnium vetustissima habenda esset.

Unicum ergo quæstionis hujus punctum in eo constitutum est, 1. An Noë ejusque filii communi cum Adamo sermone uterentur. 2. An eodem Abraham idiomate loqueretur, ac filii Noë, qui Babelicæ turris ædificium aggressi sunt. Duo sunt enim veluti puncta certa, in quibus linguæ omnes ad unam coaluerunt, in Adamo nempe & Noë; in exordio scilicet Mundi, & in constructione turris Babelicæ. Neque demonstrandum suscipimus, toto illo 1656. annorum intervallo, quod inter creatum Adamum & diluvium interjacet, nihil in primæva illa lingua mutationis accidisse; nullo enim argumento sive ea res probaretur, vel assereretur contrarium. Fatendum est tamen, vix fieri potuisse, ut tanto temporis spatio nihil incommodi sentiret inter varias effusa gentes lingua illa primæva; inter gentes, inquam, adeo a se invicem moribus distitas, ut ne commune quidem haberent commercium; certam enim designat Moyfes epocham connubiorum inter filios DEI cum filiabus hominum, Gen. 6. 1. 2. nempe filiorum Seth cum filiabus Cain, quasi de re nova, & ad id usque infueta.

Utcunque tamen res habeas se se, certum modo constituimus, Noë, tresque ejus liberos Adamico sermone locutos, quem integrum Sanctumque ejus familia dein de servavit adusque dispersionem Babelicam, quo tempore Noë, Sem, Arphaxad, Sale, Heber adhuc agebant

in vivis. Noë 150. annis circiter post Babellem vitam adhuc produxit; a cujus obitu bien-
nio vel circiter Abraham natus est. A) Si
Babelica linguarum Confusio in ultionem fu-
cepti temere ab hominibus consilii divinitus
immissa est, non ægre quidem persuaderemur,
immunem, sicut a crimine, ita etiam a pœna
fuisse Noë pariter & Sem.

Cum interim homines in varia Orbis loca
dispergerentur, Noë, Sem, Arphaxad in Me-
sopotamia & Chaldæa Sedes retinuerunt suas.
Thare cum tota familia in Ur Chaldææ mo-
rabatur, B) quo tempore DEUS Abrahamo in-
dixit Gen. 12. 1. *Egredere de terra tua, & de
cognitione, & de Domo Patris tui.* Quæ di-
cendi phrasif satis exprimit, sedes habuisse jam
diu in ea regione fixas.

Ex urbe Ur Abraham in Mesopotamiam ad
Urbem Haran contendit; inde se contulit in Chana-
nicidem, ubi potissimum subsistit. In variis hisce lo-
cis vernaculo semper usus sermonæ, nullo adhi-
bito interprete, videtur. Nec tamen inde ego
intulerim, unum eundemque sermonem ubi-
que eorum locorum regnasse. Constat enim,
Chaldæorum vel Syrorum, sicut etiam Ægy-
ptiorum sermonem alium tunc fuisse ab Hebræo;
sed ita alium credo, ut non multum ab illo
abhor-

A) Turrim Babelicam componimus cum A. M. 1757. Noë diem
clausit A. 2006. Abraham natus est A. 2008.

B) A. M. 2081.

abhorreret; ex quo facile, qui unum calleret, alterum intelligeret. Uno verbo, ita apud me constituo, Mesopotamiam universam, Chaldæam, Babyloniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæstinam, Phœniciam, & Ægyptum eo vernaculo usos sermone, qui satis ad Hebræum accederet; ut linguarum confusio in iis maxime provinciis sentiretur, quæ multum essent ab ipsis distitæ. Teneo pariter constitutum, primigeniæ linguæ expressiores Characteres Hebræam supra cæteras servasse; quod mihi hisce potissimum argumentis persuadetur.

Recta sentientes omnes statuunt congruentia Origini, indoli, dotibus, & proprietatibus nomina singulis quibusque rebus, animantibus, & personis imponi oportere. Si contra hodie nomina absone, origine & significatione occulta, indita rebus animadvertamus, inde causa repetenda est, quod non matrice aliqua, sed ex aliis pluribus coalescentelinguam utamur. Cum autem in ipso rerum exordio unicus esset sermo, imposita rebus omnibus nomina sua non destituebantur significatione.

Quo igitur in cognitionem primævi illius idiomatis deducamur, sedulo animadvertendum est, quæ potissimum lingua radices contineat primorum nominum rebus singulis impositorum, veramque illorum exprimat etymologiam pariter, & significationem. Con-

gruunt autem hæc omnia cum vernaculo Hebræorum sermone, & ita congruunt, ut cum alio nunquam. Imposita hominibus, animantibus, arboribus, locis, metallis Hebraica nomina naturam exprimunt, dotes, vitia, impositæ appellationis occasiones; ecquid non? *Adam* est rufus, quod e subrubra terra, in Hebræo *Adama*, deductus fuerit. *Heva*, seu *Cheva* derivatur ex *Cabajab*, vita; *isch*, virago, ex *isch*, vir; *Cain*, possessio, ex *Canab*, possidere; *Habel*, est vanitas; *Seth*, posuit, seu explevit; *Seth* enim locum *Abelis* a fratre interfecti occupavit; *Eden*, deliciæ; *Henoch*, vel *Cbanoch*, innovatio, dedicatio &c. Brutis imposita nomina significationem retulisse suam, sicut & cætera locorum, fluminum, Urbium, & Provinciarum, summa laboris contentione *Bochartus* demonstravit.

Statuendum est igitur, sive Hebraicum sermonem ipsissimum esse Adamicum, & Noëmicum, sive eo deducendi sumus, ut fateamur *Moysem* genuina singulorum nomina ad arbitrium procudisse, novis hisce suis ex Hebræo sermone deductis in locum veterum & primigeniorum substitutis. Felix plane viri ingenium, qui in ea nominum transmutatione potuit vernaculi sermonis æque significativa, & non dissimilibus ducta etymologiis nomina in locum veterum substituere. Hæc ægre quidem, sed tamen utcumque in lucubratione
ali-

aliqua scribenda, in qua rara tantum nomina transmutanda, tentarentur; sed in spisso quodam opere, quale Pentateuchum agnoscimus, vix fieri posse credimus. Opus etiam fuisset, cæteros post Moysen scriptores eandem cum illo methodum sequutos fuisse, quod factu possibile minime credimus.

Fac tandem, Moysen, cæterosque sacros Hebræorum Scriptores hanc sibi methodum statuisse: Anne poterant eam pariter legem prophanis etiam scriptoribus, integris gentibus, atque infestissimis Judaici nominis adversariis imponere, qui scilicet omnes iisdem, ac Moyses, nominibus urbium, locorum, hominum, provinciarum, fluminum uterentur? Unde tam concors sententiarum affinitas & similitudo, nisi a lingua illa primitiva, cujus vestigia in omnibus fere linguis ac gentibus residua? Nomina Cham, Chanaan, Sidon, Mesor, Mizraim, Aram, Assur, Babel, Jordanis, sive Jaerden, Eden, Ninive, Euphrates, Ararat, Libanus, & alia multa, sacris æque ac prophanis sunt familiaria. Vero igitur propius existimamus, primævam hominum linguam Hebraicam fuisse.

Satis jam occupavimus objectionem illam e raris illis nominibus deductam, quorum nullæ sunt in Hebraico radices. Occurrere illa quidem ultro fatemur; sed privilegio vetustatis, quod Hæbraicæ linguæ asseruimus, nihil

officiunt. Quis enim monstri loco habuerit, si abolitæ jam duorum millium annorum de-
suetudine sermonis voces quædam interierint,
quarum tamen veluti depositum affines quæ-
dam & collaterales linguæ seruarint? Jure quin
etiam postliminii restituendus est illis primus,
quem tenebant in vetustissimo, & simplicissimo idi-
omate, locus. Ad hæc, quænam ratio cogit, ut in
vernaculo Hebræorum sermone etymologias
omnes quæramus nominum, sive apud Moysem,
sive in libris sacris occurrentium? Nonne ex illis
plura a primæva illa lingua sunt aliena, de-
ductaque potius ab externo aliquo sermone,
quonam illo, incertum? non est enim nobis,
nisi de tempore ante diluuium, & linguarum
confusione, habenda ratio.

Aliud in eam rem argumentum ex eo du-
citur, quod e vernaculo Hebræorum sermone
facile repetitur significatio nominum, vetustif-
simis gentium Numinibus impositorum, quæ
sane nomina genuina erant hominum, æta-
te interdum diluuium ipsum superantium.
Porro nomina illa ex oriente in Græciam, to-
tumque late mundum divulgata, in aliis omni-
bus linguis inanem referunt sonum; cum vi-
cissim in Hebræo & suam habeant significatio-
nem, & rei prodant originem. Ita *Ammon*
idem est ac Cham. Idem etiam est Græcis
Zeus, Jupiter, ac Hebræis *Cbum*, nempe ardens,
fervens. *Jupiter*, sive *Jovis* congruit cum
Hebræ-

Hebræo *Jova*, *Jehova*, *Jao*, DEUS. Japetus est Japheth; *Smy* est *Sem*; *Nepiunus* refertur ad Hebræum *Niphta*, quod est extendi. *Poseidon*, Græcum Neptuni nomen deducitur ex *Pfajacb*, extendere. *Vulcanus* ipse est *Tubalcain*. *Ares*, id est *Mars*, repetitur ex *Aritz*, fortis, violentus; *Venus* ex *Benoth*, puellæ, sive ex *Bana*, filios habere, domum construere; & sic de cæteris.

Musica instrumenta ante diluvium obtinebant, ipso Moyse Gen. 4. 21. testante, quorum nomina apud Græcos & Latinos manent; sed incerta apud illos etymologia offertur in Hebræo sermone; sicut & Hebræorum scripta primos eorumdem instrumentorum Authores produunt.

Nomina gentium, provinciarum, annium, montium vetustissima sunt & barbara plerumque Græcis & Latinis, sicut & gentilia Hebræis, quorum sermo & genuinas illorum explicationes, & primos urbium Authores, ac gentium Patres aperiunt. Nonne conjecturam inde capere licet, hunc ipsum Hebræorum sermonem, primorum hominum vernaculum fuisse? Videtis ingens opus Geographicum Bocharti, inscriptum *Phaleg* & *Chanaan*.

Ea est etiam Hebraici sermonis indoles, ut vetustatem suam, & supra cætera antiquitatem prodant. Ita est enim natura comparatum, ut ex simplicioribus & facilioribus via pateat ad ardua. Ipsa rerum compositio, ad-

mixtio additiones non nisi post prima illa irrepserunt. studii sunt enim & meditationis. Porro Hebraicus sermo simplicissimus est supra Cæteros; Hebraicus, inquam, in libris sacris expressus; quo enim in libris suis utuntur Rabbini, plurimum externarum vocum admixtione corrumpitur. Radices Hebraicæ plerumque non nisi tribus literulis, vel duabus syllabis constant; nomina in variis casibus nunquam inflectuntur; pluralia tantum a singularibus distinguit. syllaba *im* masculinis, & *oib* fœmininis pluralibus adjecta: anomalix raræ in declinationibus, & conjugationibus; conjugationes vero potius, quam verba multiplicantur; unde factum, ut ad nullum fere usum valeant verba auxiliaria summo linguæ compendio. Genus ipsum in verbis distinguunt; & in verbis, sicut in nominibus, sunt sua fœminina, & masculina.

Loco pronominum possessivorum, meus, tuus, suus, sunt apud Hebræos affixa ex unica literula, vel ad summum duplici, quibus satis persona loquentis distinguitur, an fœmina sit, an mas; genus etiam rei, masculinum scilicet, an fœmininum. Vocales rarissimæ in scribendo, quo scriptura breviatur maxime. Desunt tandem sive verba, sive nomina composita; rarissimæ propositiones, & illæ quidem plerumque non seorsum scriptæ, sed vocibus adjectæ, in unum cum illis coale-

lescunt. Nihil de comparativis, vel superlativis, variisque conjugandorum verborum rationibus. Duo tantum distinguunt tempora, præteritum & futurum; participia unum vel duo; infinitum et imperativum. Uno verbo, concisum magis, simplicem, facilem, & expressivum sermonem ne concipere quidem facile est.

Hæc plane omnia a demonstratione adhuc abesse fateor; & ineluctabili plane argumento id nunquam evincetur, sive Adamicam linguam hodie superesse, sive illam cum Hebræa confundendam, sive alio, quam Chaldaico, sermone locutos Noë & ejus filios. Sed ineluctabile pro se argumentum promant adversarii, & quæ a nobis fufius deducta sunt, aliis depromptis firmioribus conjecturis evertant. Argumenta nos quidem plausibilia adduximus, quorum vim auget multo sane validior & numero & autoritate ejusdem sententiæ propugnatorum manus. Rabbini A) & ex nostris commentatoribus, & Patribus, plerique B) Hebraicam linguam ex Adamo repetunt. Nec aliter plane suadent vetustatis illi characteres in eadem lingua expressi; quæ pariter

C 5 lin-

A) Ita Rabb. Ben. Gerson, Abenezra, Abrabanel, Jarchi ad Gen. 11. 1. 2. Simeon Ben. Jochai in Libr. Zohar. Liber Cofri, Azarias in Meor Enaiim.

B) Origen: hom. 11. in Num. Hieronym. in Cap. 3. Sophon. August. l. 16. de Civit. C. 11. & l. 18. C. 39. & alii plures.

lingua omnium ferme Orientalium matris jure meritoque haberetur, Chaldææ scilicet, Syriacæ, Arabicæ.

Quæ federunt prophanis sententiæ, naturalem scilicet quandam fuisse hominibus linguam, vel productis casu in variis terræ locis hominibus post rem tentatam pluries, & post varios articulatos sonos tandem usuvenisse, ut varias linguas instruerent; quæ, inquam, federunt scriptoribus hisce sententiæ, nihil habent, non dicam veri, sed nec verisimilis quidquam & solidi. Homines nec casu prodierunt; nec prodisse quidem poterant; DEUM habent Authorem, a quo simul & sermonem acceperunt, ut nunquam sine usu sermonis fuerint.

Nec monstri loco habenda sunt, quæ de vetustate linguæ suæ jactitant Ægyptii, Armeni, Æthiopes, postquam mirabilior alter inventus est, Goropius scilicet Becanus, linguæ suæ Belgicæ sive Hollandicæ vetustatem supra cæteras efferens. Insito quidem a natura amore Patriæ suæ & aviti sermonis studio quique tenemur. Sed rari sunt, qui amorem hunc suum ad extrema eo usque provexerint. Illud constat, quo gradu a locis & regionibus, ubi primorum illorum hominum sedes constituta erat, recedimus, eo pariter crescere linguæ primitivæ inveniendæ difficultatem. Ad hæc, sicuti vestigia quædam primævæ hujus linguæ in cæteris ferme omnibus orientalibus
super-

supereffe constat; ita pariter ad distinguendam Adamicam linguam a cæteris omnibus satis non esse arbitramur, si quis radices quasdam hujus primævæ linguæ, vel saltem affines quasdam voces invenisse sibi in aliquo sermone confidat. Cætera omnia congruere oportet; sicut vicissim non recta consecutione deducitur, Hebraicam linguam aliam esse a primitiva, quod veterum nominum radices quædam nulpiam in illa recurrant, si cæteroqui reliqua omnia cum illa plane congruant.

Tandem linguarum illa confusio, de qua Moyfes, non ita accipienda est, quasi ex suborto inter gentes illas diffidio earumque in varia orbis loca dispersione, naturali quadam veluti consecutione deduceretur. Prodigio debentur omnia. DEUS enim sive per se, sive Angelorum ministerio A) idiomata confudit; ita tamen, ut primævus ille sermo minus alienæ corruptionis sentiret in genere Sem cæterorumque fratrum, purus autem putusque maneret in familia Phaleg, Heber, Thare, Abrahami progenitorum, sicut & in familia, alioquin tamen corruptissima, Chanaan. B) Ita Divinæ Providentiæ consilio disponente, ut cum Abraham in destinatam illam sibi suisque

poste-

A) Vid. Orig. hom. 11. in Numer. Aug. de Civit. l. 16. c. 6. Jonathan Paraphr. in Gen. 11. 7. 8.

B) Chananæorum, Phœnicum, & Hebræorum sermonem unum esse eundemque, probant Bochartus, Huetius, Valtonus, & alii.

posteris regionem veniret, patrum suorum sermonem familiarem in illa nactus, ab avito illo desuescere non cogeretur.

Chananæis, alio nomine Phœnicibus, authoribus factum est, ut Hebraicus longe lateque per Africam cæterasque fere omnes Insulas Mediterranei atque maritimas ejusdem freti regiones propagaretur. Hæc probabilissima viâ sunt, quæ de primæva hominum lingua differerentur; quod argumenti genus egregie adeo excusserunt viri quidam doctissimi, ut non alia ratione in examen revocandum illud susceperimus, nisi in eorum gratiam, qui cum libris alioqui vel careant, vel non abundant, præclare secum agi censerent, si aliquid ea de re in Dissertatione hac nostra discerent.

DISSERTATIO

De Gigantibus.

IN tota antiquitate maxime celebres Gigantes habentur, quippe quibus testimonium ferunt Poëtæ, Historici, & qua Sacri, qua prophani Scriptores, omnium denique Sæculorum traditio, cum vetustissimis Regionum monumentis, una omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis & virium

rium habitu, tum & cœptorum audacia longe lateque sui nominis terrorem intulerunt. Ut autem insitam habent homines in res novas propensionem, magnis majora libuit adjicere, non Poëtis tantum, sed & Historicis non raro adeo rem per se miram exaggerantibus, ut justos rei limites præscribere, & vera a falsis fecernere, operis sit non exigui. Nec minus est laborandum, si quis velit ad fidem inducere suspicacia quædam ingenia, quibus errandi timor est satis causæ, ut credulitatem suam erga res infuetas, & a nostris penitus abhorrentes suspendant.

Operis ergo nostri in præsentia erit, ut Gigantes re ipsa extitisse demonstramus, simul etiam ejus veritatis adversarios refutantes. Verum antequam manus operi admoveatur, certus quæstionis status determinandus est. 1. Gigantum nomine non viros tantum intelligimus, qui procerioris corporis statura cæteros Regionis suæ viros non digiti solum, vel etiam semi pedis, aut pedis mensura superant, plures enim in mundo ejus generis occurrunt; sed viros designari arbitramur, nostræ ætatis homines pedibus nonnullis, vel etiam duplo, triplo, quadruplo justam staturam quinque pedum & semis excedentes.

2. Neque id nobis quærendum, an plurimum sæculorum successu contigerit aliquando, ut naturæ quodam nisu Gigantes prodierint; quem-

quemadmodum interdum monstra & pumilio-
nes spectantur, quorum singuli successione
carent. Sed illud discutimus, an vetustissima
ætate ante diluvium, & diu etiam post, satis
frequentes homines occurrerint iuxta hominum
nostræ ætatis statura multo superiores; qui in
certo quodam Regionis tractu, certisque fami-
liis frequentius, quam alibi, prodierint; ut cer-
tum genus, & peculiaris Gigantum Regio
possit assignari.

Inter eos, qui Gigantes extitisse negant,
non satis convenit. Afferit Josephus Antiq.
lib. 1. Cap. 4. Angelos plures ad filias homi-
num accessisse, eorumque commercio natos
viros impotentis audaciæ, qui viribus valen-
tes nihil sanctum habebant, eaque aggressi sunt,
quæ de Titanibus Poëtæ comminiscuntur. Gi-
gantum ergo nomine designari credit Jose-
phus viros audacia impotentes.

*Aliquis forte putat, ait Philo de Gigant.
quæ Poëtæ de Gigantibus fabulantur, legisla-
torem subindicare, cum hæc immensum distent a
fabulis... Nullam de Gigantibus affert fabulam,
sed illud te docere vult, eos venari voluptates cor-
poris, & harum usum fructum, quærendo unde-
cunque singularum materiam.*

Ipse idem Philo in lib. de Confus. ling. de tur-
ri Babelica a Gigantibus ædificata agens tradit,
Paganos, cum hæc legerent, reclamasse: *Ec-
ce sacri, quos vocatis, libri fabulas continent,*

qua-

quales aliis referentibus irridere soletis. Similimo enim ausu Gigantes ædificationem turris aggressi narrantur, quo de Gigantibus Pelion, Olympio, & Olfæ super imponentibus ad Cælum obsidione tentandum fabulosa vetustas commenta est. Universam hanc historiam Philo ad allegoriam referendam contendit, autumans sub allegoriæ hujus ambagibus hominis impij adversus DEUM audaciam & proterviam exhiberi. Nulli erant ergo huic Authori, sive ante, sive post diluvium Gigantes.

Per-suasum pariter fuerat Origeni A) Gigantum nomine non viros corpore immanes designari, sed scelestissimos quosque, impios, Atheos, & hujus farinae homines, quibus nulla de DEO, hominibus, & justitia est cura. Mahunt alii cum Eusebio Cæsariensi Præpar. l. 5. Cap. 4. & 5. Gigantes apud Moysen ipsissimos esse dæmones, quorum adversus DEUM pugna in Gigantum & Titanum adversus DEUM fabella describeretur. Exequemur inferius veteris illius opinionis originem, quæ Gigantes a Dæmone parente accersit, quin & ipsas Gigantum animas in censum malorum spirituum refert. Quam tamen opinionem cave, ne cum altera Gigantes prorsus subducente confundas; illa enim a communi omnium sententia in eorantum recedit, quod de Gigantibus illis in libro

A) Orig. apud Gen. C. P. in Gat, Gr. in Octateuch. Vide & apud Theodoret, q. 48. in Gen.

bro Henoch legit, ad Patres dæmones cum filiabus hominum ante diluvium commixtos esse referendos cum interim contraria Gigantibus opinio Librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chrystostomus in Genes. Homil. 22. tenet, Gigantum nomen exprimere in scriptura viros corporis robore & statura immanes; ^{A)} quorum incensum refert Nemrodum, virum, ut habent septuaginta, Gigantem. Profecto hebræum Gibbor, quem Gigantem reddunt, sonat ad litteram virum fortem, & impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad Imperatorem Julianum respondens libro 9. insinuare videtur, Gigantes monstris similes viros esse, quos quidem proceritate corporis & robore reliquos vulgo homines superare potuisse credit; sed multum concedere Gigantibus illis, Poëtarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipso maris sinu Insulam manu avulsam contra Cælum ejaculatos. sunt igitur, ait, scripturæ stylo, Gigantes viri fortes & audaces, ore terribiles, & monstro simillimi, quos vindicis Numinis ira effudit, atque male affecta Parentum phantasia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expressisse necessitatem nominis Gigantum, ne forte nominis similitudine cogerentur in scriptura viros agnoscere eadem corporis immanitate, qua apud prophanos Poëtas, Gigantes. Gigant-

^{A)} Hom. 30. in Gen. pag. 422.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum centauris, aliisque monstris errantis phantasiæ ludibrio efformatis, habentur. *Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat substantiam*, ait Seneca Ep. 58. Totam illam de Gigantum adversus Deos expeditione fabellam ad allegoriam detorquens Cicero de senect. significari tantum credit passionum adversus rationem & naturam certamen. De Gigantibus hæc Macrobius Saturn. l. 1. c. 20. *Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo existimatam, Deum pelleri cœlesti sede voluisse?*

Scriptores quidam rerum naturalium, cum in animum inducere non possent, natos unquam in rerum natura viros, quales describunt Gigantes; suspicati sunt, ea omnia, quæ de Gigantibus in Cœlum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam Spiritu, quo terræ viscera concutiuntur, exponenda fuisse. Vim enim inferunt venti, ut e terræ carcere liberati per apertum aëra exspatiantur, cujus libertatis amore mirum est, quanto impetu montes disjiciant; excitant non raro ignes, lapides longe ejaculantur, specie quasi in Cœlum protrudant. Tunc Jupiter, id est, Cœlum & aër, fulgura in illos, & imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impe-

tus comprimitur, subterranei ignes extinguuntur, vel saltem ita coercentur, ut exterius non prodeant. Hinc nata fabella, Jovem deiecisse Gigantes, quos sub montibus Ethna & Vesuvio, veluti grandi pondere, quo se relevari quandoque nituntur, oppressos detinet. Ex eo Gigantum nisu intimæ illæ terræ succussiones, & ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hic non physicum, & naturæ legibus consonum.

Nec figura ipsa Gigantum apud Poëtas sua caret Allegoria. Ita de illa Ovidius Fast. l. 5. v. 15. *mille manus illis dedit, & pro curribus angues.* Manus robur designat, angues inconstantiam, & anguium spiræ a) dolum, ac tortuosam hominum nequitiam.

Plus aliquid vident alii Philosophi, defendentes, non tantum Gigantes nunquam in rerum natura spectatos fuisse, sed nec spectari unquam tam immani corporis statura viros potuisse. Certam enim rebus quibusque statutam præscripsit naturæ Author, quam prætergredi nunquam eadem natura permittitur. Nihil in Universo extra legem, & mensuram, cujus harmoniam gradus aliquis, si rebus addatur, detrahaturque, corrumpit. Certa in astris motus mensura, sua etiam in aëre, in aqua, nec incerta pariter in terra, quæ si præscriptas sibi leges prætergrediatur, statim actum

a) Macrob. l. 1. c. 20, Saturnal.

actum est de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis statura æque respondet gra-
 du, sive motui frigoris & caloris, quo terra
 tenetur. Plantæ, quibus alitur, aër, quo re-
 frigeratur, animantia, quibus utitur, homini
 creantur, ejusque, ut ita dicam, naturæ ex
 æquo respondent. Si corporis ille statura cres-
 ceret, decresceretque, tota illa harmonia dis-
 solveretur, atque tota corrumpetur univer-
 si elegantia. Nullibi ergo uspiam fuerunt Gi-
 gantes, vel si quos forte extitisse dixerimus,
 aliam statuamus, quam nunc sit, mundi natu-
 ram oportet, alium assignemus terræ locum
 in Universo, aliam indolem aëri, aliam ele-
 mentis, astris, & plantis.

Quæ nunc est natura, nunquam fatis eni-
 teretur, ut Gigantem ederet. Quis autem
 credat, aliam fuisse olim, ac modo est, natu-
 ram? nec sane adeo dissimilis fuisse unquam
 potuit, quantum debuisset, ut Gigantem effor-
 maret. Nunquam ergo Gigantes produxit.

Veteres illi, qui vulgari majorem statu-
 ram primis illis hominibus concesserunt, mul-
 tum tamen absunt ab immani illa proceritate,
 quæ de Gigantibus prædicatur. Habent enim
 persuasum, hominis staturam, ut longius, non
 ultra septem altitudinis pedes, A) quos Hercu-

D 2

li assi-

A) Solin. Polyhist. c. 2. Vide & Varron. apud Gell. l. 3. c.
 10. Varro modum esse dixit suum adolescendi humani corpo-
 ris, septem pedes.

li assignant, A) assurgere potuisse: licet plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra mensuram istam Hercules fuerit. Hanc mensuram si qui subinde viri excefferunt, uti Orestes, vir septem cubitis, five decem altitudinis pedibus non impar, & Pufio ac Secundilla, quos ultra decem pedum staturam immanes Roma sub Augusto spectavit, exceptiones sunt hæc regulæ communis, & monstruosi quidam naturæ fœtus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ Senescentis vitio homines imbecilliores essent, qua statura, qua viribus, quam olim fuerint; statueremus etiam oporteret, naturam in eo consistentiæ statu jam inde a pluribus sæculis mansisse; cum jam inde a tribus annorum Chiliadibus factum sit, ut stature hominum nihil addatur, decerpaturque. Quare nunquam per nos admitteretur veterum illud, cuncto mortalium genere minorem indies mensuram fieri propemodum observatur. Plin. l. 7. c. 16. multum ætate sua decrevisse hominum staturam præ veteribus hominibus, Homerus Illiad. 7. deplorat. Juvenalis Satyr. 15.

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero. Ejus rei causam refert Plinius l. 7. c. 16. ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem, favillasque redigetur, paulatim absumentem radicalem humorem, vitam hominum alentem.

Fa-

A) Vide Salmaf. in folin. p. 3. Edit. 1686.

Factum inde, ait: *ravos esse filios, patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

In eandem sententiam concedens Author quarti Esdræ scribit Cap. 5. 51. *Interroga quæ parit & dicet tibi Dices enim ei: Quare, quos peperisti, nunc non sunt similes bis, qui ante te, sed minores statura? & dicet tibi & ipsa: Alii sunt, qui virtutis juventute nati sunt; & alii, qui sub tempore senectutis (naturæ) deficiente matrice nati sunt. Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ bis, qui ante vos.* Lucretius Philosophus Epicureus ita mentem suam hac de re prodit lib. 2.

*Jamque adeo fracta est ætas, effætaque tellus.
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.*

Repugnare quidem ista sententiæ Gigantibus adversæ plane videntur; sed bonam causam non bonis argumentis tuentur. Si enim naturæ senescentis ægritudo tanta erat jam inde a Moysis, nempe 2500. annis post Orbem conditum, vel ab Homeri saltem ætate, nempe mille solidis ante JESUM Christum annis, ut nullis adhuc Gigantibus sufficeret, quo deinde pervenisset evolutis adhuc 5718. annis, quot ab ea ætate ad nos usque fluxerunt? Ad Pygmæos profecto jam redactos homines spectaremus.

Addunt, a) non nisi monstra habendos fuisse homines, quos justæ nunc staturæ existimamus, siquidem procera corporis habitudo speciosior esset, & naturæ hominum magis conformis; tunc enim omnes Gigantes nati fuissent. Nunc vero contraria omnia; homines enim vulgo ejusdem erant olim, & modo staturæ; ac Gigantes tanquam omnium ætatum monstra perinde habiti sunt. statuendum est igitur, quemadmodum monstra rara sunt, & extraordinaria, ita pariter & Gigantes vel nunquam paruisse, vel si rari interdum prodierunt, errori id naturæ, præscriptas sibi leges nonnunquam transgressæ, vel saltem virtutis suæ specimen dare volentis, conatui deputandum.

Quinam ergo Gigantes scripturæ? Homines reputat Philo de Gigant. terrenos, voluptuosos, terræ filios, Atheos, Dei adversarios acerrimos. Homines vitæ turpitudine, & morum deformitate monstruosos censet S. Cyrillus Alexandrinus l. 9. contra Julian. & l. 2. & Glaphir. in Gen. Homines ad longissimam ætatem vitam prorogantes Diodorus. b)

Franciscus Georgius habet c) quidem persuasum, viros illos staturæ proceritate supra cæteros assurrexisse; sed æque censet, fœtus illos habendos non humani alicujus conjugii

EX

a) Vide Tostat. in Cap 2, Deut. q. 2. Bolduc. Eccles. ante legem l. 1. c. 7. 8. b) In Catena. Quidam apud. Theodoretum quæst. 48. c) Franciscus Georgius Tom. 1. problemat. 74. 75. apud Sixt. Senens. l. 5. Annotat 51.

ex fœmina & mare, sed dæmoniacy, ex dæmone nempe cum fœmina. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges ftaturæ proceritate adeo transcendentés natura agente in mundum venisse? superat opus illud naturæ vires; quare post devictum a IESU dæmonem, redactumque in ordinem, ne potestate Sua deinceps abuteretur, nuspiam in mundo Gigantes visi sunt, quod Scilicet dæmoni libera amplius non esset, uti prius, facultas cum fœminis coëundi.

Stephanus Gobar apud Photium Cod. 232. Pag. 898. rem tractat problematicè; perduelles Angeli, cum in terram descendissent, inito cum fœminis connubio, Gigantes genuerunt. E Gigantibus cum brutis coëuntibus nata hominum monstra, & sexus utriusque dæmones. Seu potius Angeli illi perduellionis rei, qui nec carne constarent, nec ossibus, cum ad filias hominum per se accedere non possent, impiorum hominum ad illas corrumpendas ministerio usi sunt; vel tandem nec ipsi per se, nec alterius ministerio illas tentarunt.

Severi Sulpicii sententia his verbis exprimitur Hist. l. 1. *Ex Angelorum, & mulierum coitu Gigantes editi esse dicuntur; cum diversæ inter se naturæ conjunctio monstra gigneret.* Porro si inter monstra rejiciendi sunt Gigantes, nunquam satis frequentes fuisse oportet; rara sunt enim, utpote præter consuetas naturæ leges, monstra.

P. Boulducus Capuccinus in suo Opere de Ecclesia ante Legem l. 1. c. 2. 8. 9. & l. 3. c. 2. defendit, *Nepbilim*, *Raphaim*, *Zuzim*, *Enacim*, *Emin*, *Zomzomim*, quæ varia habentur Gigantum sævissimorum & immanissimorum hominum nomina, nihil tale utique designare; quin potius virtute, sanctitate, animi magnitudine, constantia, ac bonis operibus Gigantes. Nomen *Nepbilim*, sonans eos, qui cadunt, qui se prosternunt, inditum censet viris quibusdam piis, quod assidui essent in preces. *Enacim* vel torquem ferens, equitum erat, institutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, Ordo: constabat autem viris per omnia singularibus, statura, divitiis, magnificentia.

Addit, Gigantum nomen esse honoris, datum viris illis iustis ante & post diluvium. Porro viri erant illi apud omnes spectatissimi, quos Moabitæ honoris gratia appellabant *Emin*, i. g. Reverendos. Amonitæ *Zomzomim*, sapientes; Chananæi *Raphaim*, Restauratores; Syri *Zuzim*, Illustres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum a sacra scriptura, probri loco ab Interpretibus præpostere acceptum fuisse: *Venator robustus coram Domino*; signare hæc virum spectatæ pietatis ac sanctitatis. Docet tandem Boulducus veteribus Gigantibus sua fuisse in locis, quæ in sedem sibi constituerant, pietatis Asceteria. Hæc viri commenta refutavit Anonymus in Opere, quod nunquam videre

dere mihi contigit, inſcripto: *De Nephilinis, Gigantibus vulgo dictis, exercitatio contra Jacobum Boultuc.*

Sententiæ illorum, qui Gigantes negant, opponunt veterem populorum traditionem, tenentem, fuiſſe olim populos, multo quam vulgari hominum noſtræ ætatis, ſtatura proceriores, quorum oſſa & olim, & nunc etiam indies inventa, rei experimentum futura, demonſtrant. Sed viciffim ea populorum præventio, & Gigantum illa oſſa ridentur ab adverſariis. Poëtis oblitricantibus nati ſunt Gigantes, quos fabula nutriit, populorum credulitas fovit. Quæ Gigantum oſſa creduntur, oſſa ſunt reipſa, ſive ceti, ſive elephantis, ſive foſſilia in terra naturali igne concreta. Hæc ſane opponit P. Kircherus, acerrimus, ſi quis alius, Gigantum adverſarius. Validiſſima ſunt hæc pro ſententia Gigantibus adverſa argumenta; modo pro illis quædam.

Apud Moyſem & Sacros poſt illum Authores mentio inducitur non obſcura de Gigantibus, robore, cœptis, proceritate, expeditionibus, numero, & apud Inferos ſupplicio notiſſimis. Frequentiſſimi erant ante diluvium, ſicut & quo tempore turris Babelica conſtruebatur: familiæ tandem quædam ad ipſam Moyſis, Joſue, imo & Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis aſſerta, vetera, & certiſſima monumenta, non quidem ex Poëtis

ac fublestæ fidei Authoribus, sed ex Moyse vetustissimo illo scriptore, cujus genuina citant Volumina. Ferunt ejus rei testimonium scriptores sacri, vetus & constans populorum traditio, unde Poëtæ historias illas de Gigantibus derivarunt, quas commentis suis & fabellis in majus exaggerarunt.

Cum cæpissent homines, ait Moyse Gen. 6. 1. &c. multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum. (i. e. intra hoc annorum spatium perdendis hominibus diluvium immittam) Gigantes (Hebr. Nephilim) erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti (Gilborim) sunt potentes a sæculo, viri famosi.

Non ergo erant *Nephilim*, i. e. Gigantes in mundo, antequam filii Dei, nempe e genere Seth viri, cum filiabus hominum, e genere nempe Cain, jungerent connubia. Vetus est traditio apud Rabbinos, ac plures Christianos, Scriptores recepta, Adam inter Gigantes Principem locum obtinuisse. Docent enim Hebræi, A) Deum semel inito consilio hominem formandi,

A) Vide Barro'loc. Biblioth. Rabbin. t. 1. pag. 65. &c. Morin. Exercit. Bibl. l. 1. Exercit. 8. c. 11. Art. 14.

mandi, ingentem terræ massam, quæ vix intra totius mundi ambitum contineretur, sibi constituisse; quæ sane terræ moles si extenderetur, ad firmamentum usque eminuisset. Cum Deus hanc terram in hominem effinxisset, simulacro spiritum vitæ indidit; actutum Adam in pedes sese erexit; Angeli ad insuetum monstrum pavescentes clamarunt: Domine Deus universi, sunt ergo geminæ in mundo potestates? Tunc Deus capiti novi hominis manu sua imposita, ita immanem Gigantem compressit, ut ad staturam mille cubitorum tantum juxta aliquos, vel 900. ut fert aliorum sententia, vel saltem ducentorum, aut trecentorum, quin & centum cubitorum, juxta nonnullos, redigeret. Nec sane minor exigebatur hominis statura, ut decerperet fructum arboris scientiæ boni & mali, cujus spectatissima erat, & monstro similis proceritas.

Hæc de Gigantea Adami statura sententia arrisisse pariter videtur S. Hieronymo, vertente illud Josue 14. 15. *Hebron vocabatur Chariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est; sed verti aliter potest Hebræus: Hebron ante vocabatur Chariath Arbe; vir est maximus inter Enacim i. e. Arbes Princeps est Gigantum ejus regionis. Idem S. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim, & in locis Hebraicis v. Arboy, hanc opinionem confirmat. Tandem in Epitaphio Paulæ tradit, Urbem Ca-*
riath-

riatb-Arbe, sive *Urbem Quatuor* nomen suum debere quatuor viris, Adam, Abraham, Isaac, & Jacob; tum asserit Adamum ibi conditum esse, juxta Libri Josue, & receptæ apud Hebræos traditionis auctoritatem. Gemina sentiunt Christiani quidam Scriptores apud Bar-Cepha & Joannem Lucidum.

Vetustiores diluvio homines justam hominum staturam plus nimio plerumque excedebant. Diluvii ætate superstitem fuisse tenent Rabbini Og Regem Basan, de quo legimus Deut. 3. 11. *Solus Og Rex Basan restiterat de stirpe Gigantum.* In Arcæ scalas, extra tamen, vel super ejus tectum, neque enim una est ea de re Rabbiorum sententia, sese recipiens Rex ille, aliorum interitum tuto spectabat, cibo interim sibi sufficiente per expressum foramen Noëmo, cujus servitiis toto vitæ tempore sese mancipaturum Og sponderat. Porro Og immanem corpore virum cum semel Abraham non verbis tantum, sed factis etiam acrioribus castigasset, dentium unus ex ore viri excussus est, qui unus vel cubilibus nonnullis, juxta quosdam, vel fellis, juxta alios, materiam abunde suffecit.

Cum Og copias suas adversus Israëlitas duceret, A) animadvertens hostilem exercitum spacio duarum leucarum extendi, montem æque grandem in caput suum levavit, quo in hosti-

A) Vide Morin, Exercit. Bibl. l. 2. c. 2. n. 12. 13. 14.

stium capita excusso, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit prompte Deus, cujus opera immissus vermiculus opportune adeo montem, quo loco capiti Gigantis respondebat, perfodit, ut super scapulas viri recidens, amplioris collaris speciem exhiberet. Tentavit ille e collo faxeum lorum reducere; sed ampliores viri dentes, alte se in montem insinuantes, firmū retinebant. Opportunitatem nactus Moyses, accurrit statim armatus ascia decem cubitorum; decem etiam cubitos alte saltavit, vir ipse duodecim cubitos procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quam ut talos adversarii pertingens, mortis ictum infligeret. Hæc Rabbini, qui illud Deut. 3. II. *Monstratur lectus ejus (og:) novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis*; de cunis infantis exponunt. Ludibria hæc errantis phantasiæ non moramur; sed monstrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis neget?

Nomen *Nephilim*, quod redditur *Gigantes*, sonare potest ad literam A) cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam sese immittentes; item, qui alios everunt, dejiciunt, vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Israëlita post exploratam terram promissionis, ad suos in desertum

A) נפילים Nephilim. Aq. ἐπέωλοντες cadentes, seu irruentes. Sym. βίαιοι violenti Th. & 70. γίγαντες Gigantes.

tum Cades restituti, dixerunt: A) *vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere Giganteo,* (hebraice, *Nephilim*) *quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* En plane non obscurum testimonium de Gigantibus, non raris illis, sed in gentem, & populum coalescentibus: *Omnis populus, quem aspeximus, legit Hebræus, viri mensurarum sunt.*

Nomen *Nephilim* post Moysen nusquam legitur in Libris Sacris, B) cujus loco Gigantibus designandis frequens est apud illos vox *Repbaim*, ne Moysi quidem ignota. Ait enim Moyses Cordolahomorem, & fœderatos ipsi Reges percussisse *Repbaim in Astaroth-Carnaim* Gen. 14. 5. Pollicetur Deus Gen. 15. 20. daturum se Abrahamo *Regionem Repbaim*, quorum natio in Transjordanis. Og Rex Basan *Solus remanserat de stirpe Gigantum* Deut. 3. 11. Josue 12. 4. & 13. 12. Hebræus, de stirpe *Repbaim*, i. e. Moysis ætate Gigantes ferme desierant. Vir ille statura adeo erat immanis, ut æneum ejus cubile novem cubitis longum, C) quatuor latum, adhuc post plures annos in Rabbat Metropoli Ammonitarum monstraretur. Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4. ac semis, pro singulis cubitis 20. digitis, ac semis computatis; qui si recte supputentur, conficiunt hominis staturam triplo justo majorem.

De

A) Numer. 13. 34. B) Ezechiel c. 32. 20. 22. 23. 24. 27. Ad *Nephilim* Moysis spectasse videtur, agens de vetustis heroibus gladio interemptis. C) Deut. 3. 11.

De *Emim* populis ad orientem maris mortui sermo est apud Moysem, narrantem permisos illos populos Moabitis, exterminio traditos fuisse. Potentissima erat, & frequentissima natio, corporum proceritate spectabilis adeo, ut tanquam *Repbaim*, & filii Enach haberentur. En alteram Gigantum nationem ante Moysem exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens servabatur; constat enim Moabitarum patrem non nisi 325. annis ante Moysem in lucem editum fuisse, nec nisi saltem post 150. vel 200. annos adeo valere potuisse Moabitas, ut expeditionem in *Emim* susciperent.

Ammonitæ Moabitarum fratres, circa idem ferme tempus Gigantum *Zomzomim* aliam nationem aggressi sunt Deut. 2. 20. 21. Porro illi nec potentia, nec hominum numero, nec statura Gigantibus e stirpe Enach concedebant. Eorum Regio *Terra Gigantum* reputata est, & in ipsa olim habitaverunt Gigantes. Quare triplex Gigantum natio in Transjordanis; *Repbaim* ad Septemtrionem, *Emim* ad meridiem, & *Zomzomim* inter utrosque medii.

Erant etiam cis amnem *Repbaim*, & quandam ibi tenebant Regionem Davidis ætate. Duo illorum genera distinguuntur, *Enacim* filii Enach, sedes potissimum habentes in Hebron & adjacentibus Regionibus; *Repbaim* seu filii *Rapha* in Urbe Geth commorantes, quorum erat gentilis Goliath. Frequens in scriptura mentio

vallis Rephaim A) seu *vallis Gigantum*, fatis proximæ urbi Jerusalem, cui nempe valli nomen inditum, sive quod olim Gigantes suas haberent illic fedes constitutas; sive quod castra ibi non semel posuissent in bellis Philistæorum adversus Judæos.

Meminit scriptura 2. Reg. 21. & 1. Par. 20. quinque Gigantum e stirpe *Rapha*, quos David ejusque commilitones in variis certaminibus interfecerunt. 1. *Jesbi-ben Ob*, nempe *Jesbi* filii *Ob*; 2. *Saph* vel *Sapha*; 3. Fratris *Goliath*; 4. Gigantis illius, cujus singulæ manus pedesque sex digitis distinguebantur; 5. tandem *Goliath* a David obruncati 1. Regum 17. 4. cui viro Scriptura sex cubitos, cum palmo, nempe decem pedes, & 6. digitos altitudinis assignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adversus hæc historica monumenta nihil excipiendum. En Gigantes, Gigantum familias, Civitates, populos: nec illi utcumque justam hominum staturam excedebant, sed proceritatis & roboris erant, quales ad vivum pinguntur. Insinuatur etiam, multo auctiorem Gigantum numerum olim fuisse, cum scilicet familiæ, & integræ illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis *Enach* suæ erant fedes in Meridionali Palæstina constitutæ. B) *Enach* tres olim fuerunt libe-

A) Josue 15. 8. & 18. 16. & 1. Reg. 5. 13. 22. & 23. 13. B) Num. 13. 23. 24. 34.

liberi, Gigantes, & Gigantum patres, Achiman, Sifai, & Tolmai; proceræ adeo staturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locustæ viderentur; & Moyses non alia frequentiori phrasi immanes quosdam Gigantes designet, quam pares illos affirmans filiis Enach. A) Josue in Chanaanitidem ingressus omnes delevit Enacim Urbium Hebron, Dabir, Anab, cæterarumque Juda & Israël; solos reliquit Gigantes Gazæ, & Geth, B) & diu post Gigantum sepulchra monstrabantur in Azotho. C) Eorum ossa immania, & supra fidem monstruosa ætate sua adhuc spectari affirmat Josephus Antiquit. l. 5. c. 2. pag. 145. &c.

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaanitidem agens, ita loquentem Dominum c. 2. 9. inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus; & contrivi fructus ejus desuper, & radices ejus super.* Et Baruch 3. 26. *Ibi fuerunt Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt scientes bellum. Non hos elegit Dominus, quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Judith in Cantico Dei laudes celebrat, quod non manum Titanum & Gigantum, sed imbellis fœminæ, elegantis vultus illecebris pugnantis Holofernem, tantum Ducem peremerit. D)

Calmet Dissert. T. 1.

E

His

A) Deut. 2. 10. 11. 21. & 9. 2. B) Josue 14. 1. C) Josue 11. 21. 22. D) Judith 16. 8.

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de Gigantibus antediluvianis. Amos item de Gigantibus Chanaanitidem ante Hebræorum ingressum tenentibus; describunt autem gentes illas viribus, numero, & staturæ proceritate supra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminarunt Josue & Caleb, A) genus impium ut diutius in mundo persisteret non ferente Numine. Cum vero e re sua homines universi censerent, si perniciosissima illa & impotentissima monstra delerentur, non est, cur multum miremur, si post plura sæcula nullos tamen, uti prius, spectare contigerit Gigantes; in unum enim omnes conspirarunt homines, ut perniciosum genus delerent, quemadmodum in venenatis & perniciosis quibusdam belluis factum pariter constat, quod ita extinguerentur, semel, ac rarum aliquod ex illis in Orbe pareret, ut genus omne deleretur.

Historicis hisce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta e sacris Authoribus, apud quos sermo de animabus Rephaim, in Infernis criminum suorum pœnas dantibus. Job 26. 5. Meminit Gigantum sub aquis gementium, una cum illis, qui in Infernis torquerentur; in quam pariter sententiam concedentes Prophani, Titanes describunt in imo Oceani B) vel abyssi fundo ejulantes. Virgilius Æneid. 6. v. 742.

Sub

A) Josue 15. 13. 14. Judic. 1. 20. B) Homer. Iliad. 8. & Hesiod. Theogon.

----- *Sub gurgite vasto*
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Fœminæ effrænis vias ad Rephaim deducere monet Salomon Proverb. 2. 18. addens, eos, qui infames illas viæ ductrices sequuntur, recta ad locum Gigantum contendere Prover. 9. 18. Isaias 14. 9. & Ezechiel 32. 19. Rephaim exhibent in tenebrosis quibusdam locis, qui honoris gratia assurgentes, venientibus gentium Regibus obviam occurrunt; Regibus, inquam, illis, qui, cum viverent, longe lateque sui nominis terrorem intulerant; post mortem vero ad inferna una cum Rephaim rapti sunt. Ambigat post hæc omnia, si quis vult, & Gigantes, an magno etiam numero floruerint, hæreat suspensus.

Antequam consona in eam rem Patrum testimonia afferamus, animadvertisse juvat, eorum plerisque imposuisse falso inscriptum librum Enoch, asserentem, Gigantes ex commercio familiarum hominum cum Angelis perduellibus natos. Ita vero rem narrat personatus ille Scriptor A. M. 1170. A) *Vigiles* vel Angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum distincta genera. 1. Gigantes, quorum statura justam multum excedebat. 2. E Gigantibus nati Nephilim. 3. E Nephilim Eluidi. Cum Gigantum numerus crevisset, humanis car-

E 2 nibus

A) Nempe 1071. ante diluvium, juxta supputationem Syncelli, componentis Diluvium cum anno 2241.

nibus victitare cœperunt; ex quo factum, ut homines numero in dies decrecentes clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precantes auscultans, misit Angelum Gabrielem, mandatis oneratum, ut iret, exterminaret Gigantes, nempe monstra illa ex Angelis perduellibus nata; committeret illos inter se, quo mutua cæde delerentur. Adjecit autem: Gigantum animæ in Dæmones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum; nam ex illis obsessiones Dæmonum, tormenta in homines, spectrorum territamenta usque ad extremam judicii diem. Ex his fontibus derivata plerumque Patrum fere omnium de Gigantibus doctrina. Paulus Burgensis vir clarissimus ex Judæo Christianus in Gen. 2. 6. autumat, gigantes ipsissimos fuisse sub hominum specie dæmones.

Ex eodem Libro Henoch accepta credo, quæ de concepto Gigantum fœtu narrat Author Testamenti duodecim Patriarcharum. A) Hæc ille: Perduelles Angeli mulieres deperientes, assumpta virorum conjugum illarum, sed Gigantea specie, furtivum cum illis impetrarunt coitum, ex quo nati Gigantes; Gigantæ enim formæ ludibrio mulierum phantasia affecta, Giganteum expressit fœtum. Nulla per nos esto fabellæ hujus autoritas; sed recta inde consequitione infertur, apud Libellorum istorum procusores assertam fuisse Gigantum veritatem.

Pa-

A) Testam. Ruben. c. 5.

Patrum testimonia magno numero recitare supervacaneum ducimus; constat enim summo omnes assensu Gigantes admisisse; si qui contra fenserint, vel ambigua ea de re expresserunt, integra illos fide omnes supra retulimus. Jure tamen nostro omnes, qui contrariam nostræ opinionis sententiam totidem verbis non asseruerunt, pro nobis sumimus. Est enim, quam defendimus, causa una omnium sæculorum, & gentium opinio. Nobis proinde favet possessio; ab aggressoribus, si quæ habent, pro se documenta promenda sunt.

Petimus tantum nobis e Patribus illos, qui authoritati rationes etiam pro sua sententia jungunt. Josephus e. g. quem pro sententia nobis adversa laudant, documenta pro Gigantibus affert, narrans spectari in Hebron immania quædam hominis ossa. Tertullianus de Resurrect. Carnis c. 42. pag. 350. Resurrectionem e residuis Gigantum compagibus probat. *Nec Gigantum antiquissima cadavera devorata constabit, quorum crates adhuc vivunt.* Ex ejus narratione intelligere videmur, inventa ejus ætate ex his ossibus quædam, dum fundamenta Carthagine effoderentur. S. Augustinus l. 15. de Civit. c. 9. demonstrat, fuisse olim maxime ante diluvium immanes statura homines; quam in rem primo communem hominum persuasionem ea de re affert, laudans illud Virgiliti *Æneid. 12.*

de Ænea, tantæ molis lapidem in Turnum ejaculanti, quantam vix ferrent 12. nostræ ætatis homines.

*Vix illum lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

Expressit hæc Virgilius ex Homero Iliad. 5. & 12. quibus sane probatur vetus omnium gentium persuasio. Addit S. Augustinus, nihil esse, quod magis incredulas mentes revocet ad saniora, quam immania illa ossa, casu subinde vel e terra defossa, vel aquarum alluvione detecta, vel e tumulis casu aliquo post plura sæcula eruta. Vidi ego in litore maris Uticæ, ait ille, nec vidi solus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porro molaria illa non uno in loco servantur, quod dentes temporis minus sentiant injuriam, & cæteris omnibus resolutis, ipsa maneat incorrupta.

Augustinus Torniellus Annal. V. T. A. M. 987. n. 19. in Ecclesia sui Ordinis Vercellis S. Christophoro dicata vidisse se perhibet similis molis dentem, qui viri illius sancti haberetur. Torquemada se vidisse pariter asserit Lorix dentem alium, pugillum hominis strictum æquantem, a) & Asturgiæ partem maxillæ S. Christophori immanem adeo, ut Gigantis instar turris proceri intuentibus crederetur. Os coxendicis S. Christophori Venetiis in Ecclesia Cruciferorum
fer-

a) Torquemad. 1. dies.

servatum prodigiosæ est magnitudinis. Vetusta ejus sancti Acta virum fuisse Perhibent 12. cubitorum, vel 18. pedum altitudinis.

Ante paucos, quam hæc scriberet, annos contigisse narrat Antonius Sabellicus Oenead. 1. l. 1. non longe ab initio, ut cum in evellenda procera quadam arbore ad navium constructionem insudarent fabri lignarii, casu invenirent calvariam hominis, dolii magnitudine non minorem; quæ cum ab illis tractaretur, resoluta abiit in cineres, solis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum Civives, inter cimelia servandos, distribuerunt. Pugillo nihilo inferiorem dentem S. Christophori spectasse se in Cathedrali Valentina asserit Ludovicus Vives ejus Urbis civis in August. de Civit. l. 15. c. 9. Isaacius Pontanus in sua Danicarum rerum historia lib. 1. meminit molaris cujusdam Starcoteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Simonius Author Biblici Dictionarii V. Gigantes, refert, anno 1667. in prato quodam, in quo servandis rebus fossa eruebatur, inventum vetustissimum quoddam monumentum, cæmento probe obductum, in quo prodigiosæ magnitudinis ossa, ut eorum unum septem pedes & tres digitos longitudinis referret, ambitu vero esset duorum pedum. Porro os illud ipsissimum creditur, quod ex cubito ad scapulas porrigitur, post illud enim aliud sequebatur latissimum & planum:

num: ossa cætera adeo computruerant, ut integrum nullum remaneret, falvis tantum dentibus quibusdam, quorum singuli decem ad amussim librarum erant pondo. E dentibus hifce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17. librarum. Ovalis est dens ille figuræ, longus 5. digitis, & tribus latus. Dentès & ossa illa servantur in arce Molardæ juxta vicum S. Valerii, Diœcesis Viennensis in Delphinatu. Vidisse autem se affirmat Simonius dentes illos, cum Parœciam S. Uzæ prope Molardam curaret, & testes laudat ejus rei Præfectos Arcis Uzæ & Molardæ, sicut & Sacerdotem ejusdem Arcis Capellanum, qui authenticum ea de re instrumentum ad se transmiserunt anno 1699. die 24. Januar.

Poëtarum testimonium in re quidem facti nihili faciendum: valet autem plurimum, ut primores populorum traditiones & facta quædam historica, vetera illa & ignota, intelligentibus insinuet; quæ scilicet facta fucatis pigmentis & fabularum coloribus ad genium Poësis adumbrarunt Poëtæ. Homerus Odyss. II. v. 310. de Ephialte & Orione filiis Iphimediæ novennibus pueris habet, crassiori fuisse novem cubitorum corporatura viros, statura vero ad 36. cubitos evasisse. Titius apud eundem Odyss II. v. 575. in terram prostratus novem terræ jugera occupabat. Fama erat apud Græcos, frequentasse Gigantes agros Phlegræos, & Urbem Pel-lenen,

lenen, viribus autem suis adeo fisos, ut avul-
 sas rupes & proceras incensasque arbores in
 Cœlum ejacularent: erant autem corporatura
 enormes, crinibus & barba promissis, inferius
 angues. Vide Apollodori Biblioth. l. I. c. 6.

Agebat in Sicilia Typhon filius Terræ &
 Tartari, vir celsissima montium cacumina pro-
 ceritate sua excedens, Cœlum tangens vertice,
 & utraque manu extremos Orientis & Occiden-
 tis fines jungens; in superioribus vir, in infe-
 rioribus anguis. Poëtica sunt hæc, & in ma-
 jus aucta figmentis; sed vera est antiquitatis per-
 suasio: si enim nunquam fuisse Gigantes tene-
 rent, quomodo in mentem venissent homines
 arma inferentes in Cœlum, quomodo Cyclo-
 pes Siculi, quomodo Typhonis adversus Deos
 prælia?

His omnibus argumentum præbuit scriptu-
 ræ narratio, de audacibus Gigantum Antedi-
 luvianorum cœptis, qui nempe audacia sua &
 criminibus arma in Cœlum ipsum inferre visi
 sunt. Est autem maxime animadvertendum,
 agi apud Poëtas de Gigantibus, non raris illis
 & casu natis, sed de Gigantum nationibus, ho-
 minum genere statura procero, quos nonnisi
 gravis Deorum & filiorum Dei manus opprime-
 re valuisset.

Phlegon Adriani Libertus de rebus mira-
 bilibus c. 12. ex Apollonio meminit in eluvio-
 ne quadam apud Messeniam in Peloponneso con-

tigisse, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplo, quam vulgares, crassiore, cum inscriptione Græca nominis *Ideus*, unde conjectura deducta, caput illud fuisse Idei viri inclyti, & inter Gigantes strenuissimi, ab Apolline, quem ad singulare certamen provocavit, interempti, juxta Homerum. Addit insuper Phlegon c. 12. apud Dalmatas in antro Dianæ miram quædam ossa spectari cum costis 16. ulnis longioribus.

Refert etiam cap. 17. sub Tiberio in vehementi terræ succussione montis ingenti portione divulsa, luci expositas fuisse plures humanorum ossium compages ingentis magnitudinis. Loci incolæ stupentes hærentesque, tangere cadavera non sunt ausi, sed unius tantum dentem avulsum tulerunt ad Imperatorem, ut ex ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quadam absterritus, Herois, cujus pars erat oblatum sibi molare, corpus tangere non sustinuit; ne vero aspiciendi Gigantis voluptate sese privaret, adhibito doctissimo Mathematico, sibi pro data proportione curavit circumscribi virum, cujus tantæ molis dens pars habebatur. Thomas Fazellus historicus Siculus de rebus Siculis Decad. 1. l. 1. c. 6. l. 3. c. 4. Decad. 2. l. 1. c. 1. alia plura congerit exempla de cadaveribus Gigantum in ea regione subinde effossis. Anno 1516. detectum
in

in agro Mazaræ corpus 20. cubitis procerum, cujus calvaria modium æquabat; dens, que n ipse apud se servabat, 5. unciis par erat. Ex quo confirmatur Veterum illa traditio de *natione Cyclopum* A) ab ipsa origine Siciliam tenente.

Sui erant olim in Ægypto Gigantes, sui in Æthiopia, Arabia, & Palæstina, regionibus Ægypto finitimis. Locum esse in Ægypto, *Litres* appellat, ubi similia, ac in Sicilia, cadaverum monstra reperiuntur, asserit Phlegon de Mirabil. c. 15. Ossa neque sub terra latent, neque eorum compages turbata; exposita omnia intuentibus, singula corporis ossa aptam servantia œconomiam distinguuntur, brachia, crura, & cætera itidem membra. Mentio est in 1. Libro Paralipom. 11. 23. Gigantis Ægyptii 5. cubitorum, nempe 8. pedum, 6. digitorum & semis. Tantum virum interemit Banaias, miles in exercitu Davidis fortissimus. Miræ magnitudinis statuas spectari apud eosdem Ægyptios tradit Herodorus l. 2. c. 30. 43. 175. 176. utriusque sexus hōines exprimentes; describit ille simulacra pellicum Regis Mycerini in urbe Sai; Avorum Hecathæi, cum longo colossalium statuarum sacerdotalium satellitio in urbe Thebarum. Colossales item statuæ exhibebantur in vestibulis Templorum Apidis, Minervæ, & Vulcani, quarum alias 20. alias 70. pedum altitudinis describit Herodotus. Porro scitum est, Ægyptios defunctorum suorum

A) Homer. Odyss. vers. 59.

rum figuras in ipso eorum feretro ad staturæ mensuram fabricato expressisse. A)

Cebarenorum (Gallorum erant genus, brumaliores regiones frigoris algore inhabitabiles tenentium) nihil se admiratum, procera licet cadavera, testatur Pausanias in Attic. pag. 66. quod scilicet Ægyptia non excederent. De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius l. 6. c. 30. l. 7. c. 2. homines fuisse 8. cubitis altos, nempe 12. pedibus, si cubitus 18. digitis computetur. De Gange Rege Æthiopiæ, viro 10. cubitis immani, sermo est in historia; sermo item de *Gobaro* Gigante 9. pedum & 9. digitorum, ex Arabia Romam deducto sub Claudio. B)

Quid ferant de Africanorum Gigantum ossibus Tertullianus, & S. Augustinus, supra jam animadvertimus. Cum eam regionem teneret Sertorius, juxta Urbem Tingitanam, quo loco recepta populorum traditio tenebat, Anteam filium Neptuni juxta nonnullos, vel filium Terræ juxta alios, sepulturæ mandatum fuisse, spectavit ingentis molis sepulchrum, in quo Gigantis ossa recondi ferebantur. Creditu difficile id videbatur Sertorio; quare aperto monumento spectavit Gigantem 60. pedibus immanem. Aditum Imperator Anteo hostiis litavit; tum & recondi iterum corpus præcepit, religione absterritus, ne ossa ejus contingeret. Hæc
Plu-

A) Herodot. l. 2. c. 86. B) Plin. l. 7. c. 16.

Plutarchus in Sertorio. Ferunt etiam, a) Carthaginenses, dum terram effoderent, duo reperisse Sarcophaga, aliud 24. aliud 23. cubitis porrecta.

Refert Hieronymus Magius Miscellan. c. 4. ex relatione Melchioris Guillandini, dum captivus Guillandinus ipse in Africa detinebatur, anno 1559. duos captivos Hispanos terram effodiendo juxta urbem *Jeneze*, olim *Juliam Cæsaream* miræ proceritatis Gigantem offendisse; avulsamque ejus calvariam duobus vectibus impositam, vix tanto ponderi ferendo pares, ad Regem Assanum Ariadenum, tanquam rem miram & novam retulisse. Ejus calvariae magnitudinem Guillandinus ipse cum reliquo populo spectavit, asserens 11. pedum ambitum vel 11. spithamarum (mensura est 12. digitorum) occupasse. Princeps ille barbarus, cujus nullus antiquitatis sapor, pro eo quod expectatam libertatem captivis illis donaret, vix 5. aurea scuta Largitus est. Asseruerunt illi Guillandino, reliqua cadaveris ossa in eodem loco superfuisse, ex quo calvariam reducerant.

Per ingentem cujusdam montis hiatus partuisse cadaver 46. cubitorum refert Plinius l. 7. c. 16. quem alii Orionis, alii *O-i* suspicati sunt. Est autem Orion vir ille Gigas frater Ephialtis, qui novennis adhuc puer crasso erat 9. cubitorum, & 36. altitudinis corpore. Hæc in insula Cretæ.

In

a) Eumachus apud Phlegontem c. 18. Mirabilium.

In bello Cretenſium cum Romanis ingenti aquarum alluvione corraſa terræ ſuperficie, inter latentia plurima revelatum eſt etiam corpus Gigantis 33. cubitorum; A) cujus rei ſupra fidem teſtes oculati fuerunt Metellus, & L. Flaccus. Quanquam hæc hiſtoria ipſiſſima videtur ac Plinii illa ſupra relata; cum tamen variæ ſint apud Solinum omiſſæ a Plinio circumſtantiæ, locum fecerunt conjecturæ D. Salmaſii, autuman- tis Solinum, quanquam alioqui Plinium bre- viare aſſuetum, aliunde tamen rei illius notiti- am habuiſſe.

Gigantum quoque oſſa ſpectanda in Inſula Rhodo, B) ac Italia. Rerum potiente Henrico II. Imperatore filio Conradi an. 1041. inventum non longe cadaver ad Urbem Romam transla- tum eſt, cujus tanta erat proceritas, ut ere- ctum ab imis ad ſummam uſque mœnium lori- cam emineret. C) Pallantem filium Evandri a Turno occiſum ſuſpicati ſunt; vulnus adhuc patebat quatuor pedibus latum. Minoris fidei aliud narrat Boccaccius. D) Drepani in Siculis inter effodienda ædificii fundamenta cæcum va- ſtumque antrum revelatum eſt, quo incenſam præferentes facem ſoffores illi ingreſſi, in ca- daver hominis inciderunt, de cujus immenſa propemodum magnitudine conjecturam inde cape-

A) Solin. c. 1. B) Phleg. Mirab. c. 16. C) Jac. Phil. Bergom. ſupplem. Chronic. l. 3. a. 1041. D) Symphorian. Campeg. Lib. cui titul. ortus Gall. ex Boccaccio l. 4. Gençal.

capere licet, quod trabem velut navis antennam pro Scipione haberet in manu. Tanti immanitas monstri primo terrorem iniecit fossoribus, coëgitque e loco sese proripere; sed animis iterum confirmati & armatorum hominum manu stipati redierunt; at Gigas vix tactus abiit in cineres. Plumbum, juxta Scipionem sive lanceam viri positum, pondus superabat 1500. librarum. Ossa integra erant; & calvaria tanta erat capacitas, ut modia tritici commode plura continuisset; reliqua ossa capiti respondebant; dentes singuli 9. librarum pondo. Polyphemus, Homero, & Virgilio celebris, Gigas reputatus est. Paulo ante captam a Gothis Romam, foemina quaedam & utriusque ejus parentes, statura, multo quam vulgaris hominum, superiores, ad sui spectaculum undique ad eam Urbem homines acciebant, teste S. Augustino de Civit. l. 15. c. 23. pag. 407. num. 2.

Trojanam obsidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multo quam reliquos omnes nostræ ætatis homines, etiam proceros, statura majores. Decem cubitis altos Heroas illos fuisse perhibet Philostratus de vita Apollon. l. 2. c. 21. Eodem teste, Achilles spectandum se præbens per visum Apollonio Thyaneo, spectrum exhibuit primo 5. cubitorum, quod sensim ad 10. vel 12. excrevit. A) Agit ille pariter de Ajacis cadavere, cujus sepulchrum juxta mare

A) Vita Apollon. l. 4. c. 16.

mare positum reducentes arenam fluctus detexerunt: inventum est in illo cadaver 11. cubitis, vel 16. pedibus & semis procerum. A) Adrianus Imperator rudera Trojæ inspecturus veniens, ossa illa restauratum in sepulchrum recondi imperavit. Viri Moyfi relatione tenere se narrat Pausanias in Attic. pag. 66. 67. ejus Herois tumulum, qua mare respicit, aditu facilem esse; inde vero argumentum de viri statura capiendum, quod genuum vertebræ, seu molæ atletici disci instar essent.

Orestis cadaver Thegeæ a Lacedæmonibus inventum, 7. cubitos, vel 10. pedes, & semis æquabat. B) In Sigæo Promontorio antrum pariter detectum est, in quo Gigas 20. cubitos excedens; quod ante 50. annos contigisse scribit Philostratus Heroic. c. 1. n. 3. Meminit etiam Gigantis, cujus cadaver quidam e necessariis suis in Insula Coo ante quatuor annos e latebris excusserat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas, viri mensura 12. cubitorum; anguis in calvaria latebat. Cum idem Philostratus ad insulam Lemos venisset, spectavit ossa Gigantis a Menecrate quodam detecta, ex quibus, dissoluta licet compage, conjecturam capere licebat hominis maxime proceri: & calvariæ tanta erat capacitas, ut duas Cretenes amphoras superaret. Porro amphora Romanorum

A) Idem Heroic. c. 1. n. 2. B) Herod. 1. 1. c. 68. & Philost. Heroic. c. 1. n. 2.

rum æquabat 28. circiter pintas Parisienses, seu 48. sextaria Romana. An Cretensis major esset minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congerit idem Philostratus in suo illo Opere *de Rebus Heroicis*: meminit inter cæteros Protefilai, qui 20. annorum ætatem agens, 10. cubitos æquabat; meminit ejusdem ferme mensuræ plurium inter celebratissimos Græcorum Heroas. Pausanias; Scriptor sine controversia & exactior et correctior Philostrato, mentionem habet cadaverum Giganteorum per totam Græciam & alibi etiam; uti Asterii sepulturæ mandati in Insula Asteri e regione Mileti, cujus erat cadaver 10. cubitorum vel 15. pedum. A) Sermo apud illum pariter est de Gigante in Lydia superiori, juxta parvam Urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa ossa ejus erant magnitudinis, ut nunquam humana haberentur, nisi figuram referrent ab animantibus cæteris, præterquam ab humana, abhorrentem. Geryonis cadaver primo creditum; sed alterius visum est Pausaniæ, quippe quod Geryon in vivis egisset circa fretum Gaditanum, nec in Lybia diem clausisse unquam auditum. Quare viris emunctæ naris creditæ fuerunt reliquiæ Hylli filii Herculis.

Cum in Syria Imperator alio divertere Oron-tem tentasset, in arenti ejus fluminis alveo Gi-

gas detectus ^{A)} undecim cubitorum; hunc alii Orontem, alii Aryadem autumarunt. Indum quendam declaravit Apollinis Oraculum. Reconditum cadaver illud in urna figlina undecim cubitorum. Monstratur hodie usque in Antarado monumentum 20. pedum; gemina in viciniis Damasci, alterum 50. alterum 20. pedum; priori illi 160. palmos seu 80. cubitos assignat Goujon. Credulis Itinerantibus persuadetur, amplius illud sepulchrum esse Abelis, brevius aliud Josue. Vidisse se Damasci costam hominis prodigiosæ magnitudinis testatur Benjamin Tudelensis, nec simillimæ alibi desunt.

Munitionibus vallare Insulam (forte Æginam) non longe ab urbe sua Athenienses aggressi, ^{B)} cum ducendis fundamentis terram efoderent, inciderunt in monumentum 100. cubitorum, recondens non imparis staturæ cadaver. Ex inscripto epitaphio constabat, viri nomen fuisse Matrosirim, vitam autem produxisse ad 5000. annos. Sed, nisi mendum in Textum irrepsisse suspicemur, credulitati profecto hujus Scriptoris, qua in tumuli mensura, qua in ætate viri, impositum est.

Sub Anastasio Imperatore plura Gigantum ossa Constantinopoli inventa, & in æternum monumentum a Principe in Aula servari jussa, Glycas est author in Annal. p. 4. pag. 265. Hercules

^{A)} Pausan. l. 8. seu Arcadic. pag. 503. Philostratus Heroic. c. 1. n. 2. a quasse cadaver illud asserit 20. cubitos. ^{B)} Phlegon. Mirab. c. 17.

cules victi Geryonis ossa Olympiam misit, æternum certaminum suorum & victoriarum monumentum A).

Porus Indiarum Rex ab Alexandro Magno victus, vir fuisse narratur 7. pedibus & semis procerus; B) & cum elephantem ascenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ cæterorum ad equos. C) Porro 5. & semis cubitorum viri non infrequentes sunt apud Indos. D) De Gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiam nunc ossa & sepulchra spectantur, legas in historiis eorum populorum.

Theopompus Sinopæus in suo Opere de terræ motibus apud Phlegon. Mirabil. c. 20. refert, in valida terræ succussione disiectum quemdam collem Latentia intra viscera sua exposuisse Gigantis ossa, quæ simul composita exhibuerunt hominem 24. cubitorum. Narrat Florus E) Theutonum, Regem gentium ejus nominis & Cimbrorum, cum ad triumphum Romam duceretur, proceritate sua insigni intuentibus spectaculum exhibuisse; super ipsa enim trophæa eminebat. Narrant alii interuisse virum e vulneribus in pugna relatis; F) cujus inventum in Delphinatu cadaver, ex-

F 2

posi-

A) Philostr. Heroic. c. 3. B) Arrian. l. 5. Diod. l. 17. C) Plutar. in Alex. Strab. l. 15. D) Plin. l. 7. c. 2. E) Florus l. 2. c. 11. Insigne spectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximia super trophæa ipse eminebat. F) Orosius l. 5. c. 16.

positumque, undique spectatores proceritate sua invitabat.

Cum autem ejus inventionis historia celebratissima sit, & multorum scriptorum occasio, operæ pretium est, fusius aliquanto illam referre. Feria 6. die 11. Januarii An. 1613. detectum est sepulchrum Teutobochi Regis Theutonum, in agro D. Langon Civis Delphinatus; erat autem locus non longe ab Arce Chaumont, inter Montrigaut, de Serre, & S. Antonium. Cum eo loci in sabulo 18. pedum altitudinis agricolæ laborarent, offenderunt monumentum 30. pedum longitudinis, 12. latitudinis, & 8. profunditatis, cum literis circum insculptis reddentibus. TEUTOBOCHUS REX.

Gigantis se invicem contingentia ossa spatium occupabant 25. pedum & semis longitudinis, 10. latitudinis in scapulis, 5. profunditatis. Ambitus capitis 10. pedum, longitudo 5. oculorum capsulæ 7. digitis gyrabant. Singula hæc deduximus e libello, quem distribuebat Petrus Masuyer Chirurgus de Beaurepaire, qui simul exhibebat syngrapham Medicorum Montis Pessulani, & Gratianopolitano- rum, ossa illa omnibus, quicunque spectatum venissent, se se monstraturos spondentium. Libellum scripsit Jesuita quidam; Lugdunensibus autem typis prodiit.

En ossium in sepulchro reconditorum catalogum. *Costæ pars, Omoplatæ lævæ pars Superior*

perior, humeri caput, femoris caput, femur, tibia, astragalus, calcaneum, os mandibulæ. Crassitudo dentium juveni pedem æquabat; caput femoris humanum caput; a capite femoris usque ad crura, longitudo ossis 5. pedum & semis, latitudo trium. Tibia ad 4. pedes porrecta.

Eodem anno 1613. Nicolaus Habicot Anatomicus & Chirurgus insignis S. Cosmæ Parisiis *Gigantostheologiam* suam vulgavit, qua veritatem Gigantum atque ossium Regis Theutobochi tuebatur. Adversus *Gigantostheologiam* illam, alteram opposuit eodem anno Joannes Riolanus Medicus & Anatomista celeberrimus Facultatis Parisiensis; cui anno 1614. opposuit *Imposturam detectam de inventione ossium Theutobochi Regis*, & an. 1618. *Gigantologiam* adjecit. Reposuit pro se alterum scriptum opponens Habicot, sed leve illud & optimis rationibus fere destitutum: quæ censura est D. Alliot junioris, Doctoris Medici Facultatis Parisiensis, cujus humanitati singula hæc, tum Operum utriusque partis conspectum debeo.

Anno 1615. paruit scriptum Apologeticum Caroli Guilleman Medici Regii ordinarii, adversus Habicot & Riolanum. Opus solidum, & invektivis plenum. Suspiciabantur nonnulli ossa illa Ceti alicujus fuisse, vel fossilia aliqua, quæ in terra concrefcere nonnullis in locis constat. Sed illorum sive figura, sive substan-

tia, omnia denique hominis sunt. Ager, in quo cadaver inventum, Gigantis appellabatur; nec raro fodientibus offerrebantur argentei quidam nummi, Marium præferentes inculptum in antica, in postica vero duarum istarum literarum M. A. complexum.

Asserunt anno 785. inventam apud Bohemos Calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ sufficiebant; crura vero ad 26. pedes porrigebantur. Insignis ille Medicus Felix Platerus in suis animadversionibus detecta testatur Lucernæ miræ magnitudinis ossa, ex quibus si reliqui corporis apta commensuratio facienda esset, non minus, quam 19. pedum Gigas assurgeret. De Gigante *Ferrago* a Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memoriæ proditum est, 12. cubitos, vel 30. stature pedes æquasse. In S. Capella Biturcensi os quoddam cruris monstratur, magnitudine non dissimili a tibia Teutobochi. Sepulchrum 30. pedum, Gigantis creditum, spectatur Parisiis ad Nostræ Dominæ. Hominem quindecim pedibus procerum vidisse se apud D. Nivernensem asserit D. Habicot. Oblatum Gontrano hominem tribus pedibus majorem, narrat in historia Gallorum Aimoinus. Carolum Magnum æquasse 9. pedes altitudinis, concursus est plurimum assertum. Sub Ludovico XI. A) e regione Valentia in Delphinatu detecta in torrente,

a) Cælius Rhodig. l. 18. c. 31.

te, quo vicus S. Perat alluitur, ossa Gigantis, statura, quantum ex ossium illorum proportione, 18. pedum circiter; sicut fœminam Gigantæ staturæ, cui nomen Garfenda, in Forcalquier sub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam ossa monstrantur Taurini; in valetudinario Mediolanensi vir quidam junior, statura erat procerior, quam ut alendo immani illi corpori natura sufficere posset; duo juncta in longum cubilia viro substernebantur. Hanc sui temporis historiam refert Julius Scaliger de subtilit. exercit. 26. Afferit Torquemada *Hexaëmer.* die 1. sub Julio III. virum in Calabria immanem corpore ad sui spectaculum mundum universum invitasse. Illum Romam accivit Pontifex, sed ferendo nullus par equus inventus; plaustro impositus, crura, quod plaustrum ipsum superarent, pendula gerebat exterius. Ad Urbem ut pervenit, omnes affecit stupore, quod proceriores etiam homines supra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus Poëm. p. 4. demonstrare nititur, Danicas regiones olim vel tenuisse Gigantes, vel saltem frequentes in illis versatos; quod ipsi quidem probatur ex immanissimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia sepulchris veterum Danorum imposita spectantur. Gigantis dentes & ossa imensæ magnitudinis detecta an. 1520. apud Scotos narrat Hector Boëtius Hist. l. 11. pag.

240. In Cimeliarcho Regis Sueviæ videas A) tibiam viri 25. librarum pondo, defossam Burgis apud Belgas an. 1643. Pertinet modo ad Othonem Sperlingium. Sermo est etiam in eodem libro de Rege quodam Norvegiæ, defuncto an. 933. pedibus 14. procero; de Evin-do quodam in vivis agente circa an. 1338. qui 15. ulnas Norvegiæ æquabat. Prope Bircherodum humanum cadaver multò quam cætera procerius detectum est an. 1695.

D. du Mont Itiner. pag. 149. narrat quo tempore Græciam ipse discurrebat, inventum Thefalonicæ os quoddam Gigantis, qui juxta Chirurgorum ejus regionis supputationem 20. pedes assurrexisset. In expeditione Xerxis in Græciam, Gigas Artachorus 5. Regiis cubitis nempe 7. pedibus & semis immanis, terrorem Regiis adversariis faciebat. De Gigante in Syria 5. cubitorum & palmi, meminit sub Theodosio Nicephorus. Surgebat Andronicus Comnenus 17. pedibus, teste Niceta; sicut & 15. pedibus Ostiarii Urbis Pechinensis, si fides sit Melchiori Nugnez Jesuitæ. Fœminam 10. pedum spectasse se Antverpiæ tradit Goropius Medicus Germanus, qui scriptis libris Gigantes negavit.

Visi tandem in America Gigantes, qui vulgaris staturæ homines genibus habebant æquales. B) Hos viros, quorum ossa & opera modo

A) Par. 1. sect. 1. n. 77. 74. B) Acoſta hist. Indic. 1. 1. c. 19.

do etiam in Peruanis regionibus spectantur, igne cælitus in se scelorum merito provocato absumptos, recepta apud incolas traditio fert; cui gemina jungitur similis apud Mexicanos & Brasilienses fama; apud quos simillima pariter ossium portenta. Satis hæc e multis ad asserendam Gigantum veritatem.

Suam de Gigantibus meditationem exponens D. Abbas Tilladet anno 1704. A) defendendum aggreditur, non Gigantes tantum in Mundo paruisse; sed & integras Gigantum Urbes ac Nationes, quin & Gigantibus accensendos primos illos Gentium Parentes, Colonia- rum Ductores; utrosque pariter Gigantum parentes Gigantes fuisse, ut Adam, ex quo Abel Gigas, Cain, Seth, & priores saltem illorum posteros. Quomodo Arcam fabricasset Noë tot animantium generibus continendis aptam, nisi expressi in Scriptura cubitis ædificium illud metientes Gigantum fuissent? Anne præter Gigantes alius quispiam turrim Babelicam, tantum opus, moliri valuisset? Addit, homines illos, quo statim proceriores essent, eo pariter & vitam egisse diuturniorem, radicali illo & vitali humore magis abundante, quo in ampliora corporis vasa reciperetur.

Vitæ autem ad plura sæcula prorogandæ valuisse plurimum autumat, cum terræ fœcunditate

F 5

ditate

A) *Histor. Academ. Nummor. & amœniorum Literar. tom. 1. pag. 125.*

ditate opimiorem alimentorum succum; quo in naturæ senio paulatim cum fœcunditate deficiente, sensim & de vitæ diuturnitate remitti cœptum est. Ad Gigantes spectabant Nemrod, Assyrii Imperii primus author, sicut & Ductores Coloniarum Amorrhæorum, & Enacim, quorum Gigantea posteritas diutius in regione cis & trans amnem. Inter Gigantes pariter suum habuisse locum credendi sunt Virginiae & Magellanicae regionis primi parentes; quod hodie usque earum regionum incolæ robore & corporis statura plurimum valeant. Hæc D. Abbas Tilladet.

Post hæc omnia nihil ultra credimus ambiendum fuisse reipsa, nec infrequentes per omnes terræ regiones Gigantes, integras e Gigantibus constitisse nationes; Gigantibus, inquam, quorum erat statura duplo, vel triplo, quam vulgaris hominum, procerior. Horum autem si nullum vel specimen extat nostra ætate, id partim tribuendum divinæ Numinis ultioni, quæ tot criminum & scelerum monstra solo tantum nomine in mundo superesse toleravit; partim vero hominum cautioni, qui in isto omnium gentium fœdere, exterminandis perniciosissimis humani generis adversariis arma intulerunt.

Quo autem objecta in contrarium omnia ordine refutemus, reponendum est: I. Quæ de Gigantibus narrat Scriptura, multum illa a

Pœta-

Poëtarum commentis abhorrent, quantum scilicet veritas a mendacio, & a fabula historia. Quare si Patres aliquando alios fuisse docent Poëtarum, alios Moyſis Gigantes, non niſi e media veritate doctrinam hanc ſuam prompſerunt. Cave cum Poëtis credas, tanto corporis robore valuiſſe Gigantes, ut montes montibus ſuperſtruerent, ſcopulos, Infulas, flammatas procerasque arbores in cœlum ejacularentur; centum illos manibus inſtructos, ſuperiora hominis, inferiora anguis habuiſſe. Poëtica ſunt hæc, & in majus aucta commenta, quemadmodum & ea, quæ de Polyphemo, Cyclopibus, ac Gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in ſcriptura: ad Poëtas quod attinet, nihil ad nos.

2. Quicumque in ea ſunt perſuaſione, Gigantes, & Cyclopes fætæ pluribus ideis phantaſiæ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum natura, diſſita hæc omnia in ſe concilians, extiterit unquam: vel qui Gigantum omnia eorumque adverſus Deos prælia ad moralem & phyſicam quandam interpretationem deſlectunt; illi, inquam, nos habent dictis ſuis reponentes, nihil morari nos Poëtarum commenta, e Gigantibus & Centauris monſtruoſa quædam portenta, nunquam in rerum natura ſpectanda, effingentium. Eorum tantum aſſerimus veritatem, quæ in ſacris Libris de Gigantibus feruntur; nimirum extiſſe olim magno numero

numero Gigantes, homines illos nihil a reliquis nisi statura corporis discrepantes; bellum autem in Deum non armis, sed criminibus ac sceleribus movisse.

3. Quod dicunt, nunquam fieri posse, ut Gigantes in rerum natura nascantur, cum in rebus omnibus Deus ejusdem naturæ author certos præstiterit limites, quos prætergredi nihil unquam possit; repugnat id rei ipsius evidentia. Constat enim fuisse olim homines justam cæterorum staturam multo excedentes; sicut & infra vulgarem staturam plures, quos Pumiliones appellamus, quotidie nascuntur. Si vero aliqui paruerunt in mundo Gigantes, cur non & plures potuerint? Nec tamen in ea sumus sententia, primos homines universos, sicut & omnes veteres Palæstinos, & Siculos, Gigantes fuisse. Frequentes erant quidem Gigantes apud illos; erant familiæ, quin & Gentes integræ; quemadmodum nostra etiam ætate spectamus, ut populorum aliqua natio cæteras proceritate superet.

Fatemur quidem, frigoris, caloris, aridi, & humidi certam in natura mensuram non facile permittère, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem justo mensuram excrescant; sicut nec infra plus multo demittantur, quam plerumque videmus. Nihil tamen prohibet, quo minus in aliquibus Orbis regionibus quædam ex illis ad staturam multo supra
vul-

vulgarem proceriorem pertingant; sicut & contingere quandoque spectamus, ut ferax sit hominum, brutorum & plantarum alicujus generis certa aliqua regio, quæ frustra in alia quærantur; ac generis alicujus animantia post certum quoddam temporis spatium ita præscriptas sibi leges pervertant, ut multo deinde minora, quam antea fuerint, nascantur. Hæc omnium seculorum experientia certissima, aperte satis demonstrant, potuisse in certis quibusdam locis, Gigantes spectari, qui multo quam cæteri homines ubique locorum statura essent proceriores. Quæ prima ex Europa in Americam translata sunt semina & plantæ, in proceras adeo arbores, & plantas excreverunt, ut nihil tale in Europa. Mures ipsi & bruta cætera multum vulgarem excefferunt corporis molem. Ut quid igitur primis illis seculis in terræ juvenia, cum scilicet succo abundaret, & plantæ essent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum sanguis, succulentissima alimenta, ut quid, inquam, non major esset hominum quorundam statura, majus corporis robur, sanitas major, vita diuturnior?

4. At enim natura nunquam produxisse Gigantes credenda est, cum hodie, & si multum enitatur, nunquam ad producendos illos saltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodie est, natura hominum vitam ad 8. vel 9. secula prorogare potest, quemadmodum

in

in orbis juvena re ipsa prorogavit. Nunquam pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Anglia, venenatos serpentes in Insula Melita, Hippopotamum in Ægypto producet; nunquamne ergo in iisdem regionibus paria gignere valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; nunquamne ergo emisit? Si natura aliquid modo in certis aliquibus locis non valet, hæc sane non defectui in natura virtutis adscribenda sunt; sed naturalibus ad propaganda rerum genera instrumentis destituta est, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de Gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palæstinæ, & Siciliæ Gigantes, statimque Gigantum ipsa propagatio reparabitur. Qui vero staturam hominis 7. pedibus majorem non agnoscunt, quippe quod Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri, spectatos Romæ Gigantes Herculeæ staturæ multo superiores. Ad hæc, Herculem 7. staturæ pedes attingisse, inter veteres Scriptores non convenit. Apollodorus 4. cubitos vel 6. pedes viro tribuit *Bibliot. l. 2. c. 3. pag. 96.*

5. Quicumque decrescere in dies homines habent persuasum, opinionem illi tuentur rationibus destitutam; quæ tamen Gigantibus potius asserendis, quam evertendis valeret.

6. Inter eos, qui re ipsa Gigantes olim in mundo spectatos volunt, nemo plane asserit,

Gi-

Giganteam illam staturam maxime naturalem hominum fuisse; illud tantummodo reputantes, nihil habere illam naturæ repugnans, nihil absonum Universi elegantia, cæterisque rerum dotibus. Nullum esse dicunt inconueniens, si Gigantes, possibiles alioqui, admittantur; uno verbo, magno numero Gigantes olim in mundo spectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monstra haberentur, sed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam a nostra sententiam objiciuntur, nihil ad nos.

7. Eorum error, qui persuasum habuerunt, Gigantes ex Angelorum perduellium cum filiabus hominum connubio prodiisse; extitisse olim uigantes invicte probat. Testimonium de recepta apud populos de Gigantibus traditione admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipsa pariter traditio tam vetus longe lateque propagata & constans, ineluctabile esset argumentum, nisi cum Scripturis vetustisque omnium seculorum historiis assertæ fidei cohæreret.

8. Si tandem natura ludens interdum quædam in terræ sinu produxit, humanis ossibus, calvaria, tibia, ossibusque cæteris non ab similia; numquam tamen eo deveniet, ut integras ossium humani corporis compages naturalibus simillimas effingat; quin & illi naturæ lusus argumentum sui nunquam non præbent,
 five

sive majori, quam par est, rotunditate, sive figuræ, sive proportionum, sive ut plurimum, soliditatis discrepantia. Sunt enim fossilia colore dilutiora, quippe quæ ad terrestrem magis, ubi concreverunt, accedant. E solida materia compacta sunt, non intus inania, ut hominum ossa. Nec impossibile credimus, ut Elephantum, & Ceti alicujus ossa pro Gigantibus obtrusa sint; sed constat equidem & genuina quædam Gigantum ossa aliquibus in locis spectari, non incertum de Gigantum veritate documentum.

DISSERTATIO

De Turri Babelica.



Turris Babelicæ ædificium monumentum est & historia, contra quam nihil valuerunt sive longissimi temporis vices, sive diffusa locorum spatia, sive linguarum discrepantia, & gentium dispersio: nihil, inquam, valuerunt, ut ab hominum memoria tantum opus delerent. A primis inde seculis usque ad nostram ætatem manet ejus rei traditio apud gentes ferme universas, iis tantum exceptis, quibus barbaries ipsa, & antiquitatis alta oblivio in naturam pene transivit. Pura illa & exactissi-

exactissima mansit apud Orientales, gentem omnium maxime moribus & literis excultam. Deductam ex Orientalibus Græci fabulis corruperunt, id sibi Vatibus eorum indulgentibus, ut omnia portentosis fabellis infercirent, quo genio populi in res miras fervirent. Latentem hanc sub fabellarum tegumentis veritatem a Græcis Latini acceperunt. Pura rei cognitio, veluti puri latices e fonte, e Moyse ipso repetenda.

Mosaicæ historiæ fidem, argumento viro docto satis impari, in suspicionem revocare nititur Celsus, A) contendens, Legislatorem Hebræum hanc de turri Babelica historiam e fabella Poëtarum de Aloidarum seu Titanum in Jovem bello expressisse; Cui reponit Origenes, non Moysem quidem, utpote Poëtis & literis ipsis Græcanicis vetustiorum, ex illis; sed ipsos potius Græcorum Vates ex Hebræo Legislatore derivasse, quidquid veritatis fabellarum figmentis corruperint.

Juliano Imperatori quanta quanta hæc historia subolet fabellam: B) usurpabat pariter ad literam illud, quod in Textu legitur: *Faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad cælum.* Illud autem irridens reputabat Imperator, nunquam, & si homines in unum conspirassent Consilium, & si cæmenta-

Calmet Dissert. T. I.

G

ria

A) Origen. Cont. Cels. l. 4. B) Vide Cyrill. Alex. l. 4. Cont. Julian.

ria ex universo mundo strues compararetur, si in lateres terra compingeretur omnis, nunquam ædificium tale confurgere potuisse, vel si parietibus tenui quodam filo tenuioribus constaret, ut Cælum tangeret vertice. Deridiculo autem traducit Christianorum & Judæorum credulitatem, quibus persuasum dicit, Deum hominum consiliis perdendis linguarum confusionem immisisse, quod sibi ab illis metueret.

Has viri impii calumnias repulsurus S. Cyrillus observat, multum nos quidem abesse ab ea credulitate, qua territum Deum sibi que mententem Consiliis hominum dissipandis intendisse autumaremus. Ad captum vulgi loquitur Moyfes, cum descendisse Deum perhibet, & dum pariter addit, homines Consilium molitos fuisse turrin ædificandi, *cujus culmen pertingeret ad cælum*. Similis enim loquendi phrasis alibi in Scriptura celsum aliquid designat. Quæ vero ex ejusmodi verbis fabularum Authores fabricati sunt commenta, nihil ad Christianos. Si Deus descendisse legitur, ut ab incepto homines absterreret, si confusionem in sermones illorum injecisse, id non eo consilio factum, quasi sibi mali aliquid timeret, sed ut homines ab inutili & vano incepto, qua est in illos bonitate, cogeret absistere. Reputantes enim mortales illi, fieri iterum potuisse, ut nova imbrium procella in mundum excuteretur, turrin adeo proceram ædificandam aggressi

gressi sunt, ut nubes celsitudine sua vincens, homines a diluvio poneret in tuto; quasi scilicet Deus, cujus nutu aquæ ab inundanda terra destiterant, non æque pariter valuisset homines ab earum metu liberare.

Paganorum cavillationes adversus Babelicam turrim, quasi scilicet ejusdem historiæ veritate motum a Gigantibus in Jovem bellum confirmaretur, depulsurus Philo, omnia ad allegoriam detorquet, A) ratus regulas omnes dirigendis moribus aptissimas a Moyse sub ejus narrationis obtentu præscriptas. Factum tamen ille non negat; sed morali tantummodo sensui excutiendo totus impenditur. Verum nec morales ejus commentationes, nec objectas contra veritatem ejus historiæ cavillationes morati, id unum tantummodo in hac nostra Dissertatione suscipimus, ut nihil ex ejus historiæ circumstantiis in obscuro relinquatur.

Hæc igitur Moyse Gen. 11. 1. 2. *Erat (ab initio) terra labii unius, & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento, & dixerunt: Venite, & faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum, ante-*

G 2

quam

A) De Confus. linguarum.

quam dividamus in *Univerſas terras*. Geſta hæc creduntur circa A. M. 1770. poſt diluvium 114. & ante Æram Chriſtianam 2234. Neque minus temporis ſpatium exigi videbatur, ut tot homines naſcerentur, quot tantum opus repoſceret. Integrum tamen ſæculum ſatis ſuperque reputandum eſt. Cum Area illa, tantum Noë ejuſque familiæ ab aquis diluvii effugium, in vertice Ararat Armeniæ montis inſediſſet A) (locus eſt 10. vel 12. leucis ab Erivan Orientem verſus) eum pariter locum in ſedem elegerunt homines poſt diluvium; quod etiam recepta tenet apud Armenos & Orientales populos traditio. Siſuthrus, quem Pagani cum Noë confundunt, ex Arca egreſſus, ait Alexander Polyhiſtor apud Eufeb. Græc. Chronic. l. 1. pag. 8. datam cælitus vocem audivit, præcipientem, Babylo-nem rediret, docturus homines literarum uſum, quas literas inventurus eſſet in Urbe Sippara; ſciret autem ſe Armeniæ tunc loca tenere.

Gemina fere refert Abidenus ex Beroſo; B) narrat autem Siſuthrum, celabis in Urbe He-liopoli in Sipparena monumentis & ſcriptis, quæ apud ſe retinebat, conſenſo navigio per inun-

A) Gen. 6. 14. *Requievit Arca menſe ſeptimo ſuper montes Armenia*. Hebr. *ſuper montes Ararat*. UIN. B) Apud Eufeb. Chronic. l. 1. pag. 8. Non inveroſimiliter credimus, Urbem Sapharam, ſive provinciam Sapharenam, de qua Alexander Polyhiſtor, Beroſus, & Abidenus iſtiſſimam eſſe, quam Moyſes appellat *Sapbar*, montem Orientis. Gen. 10. 30. & Herodotus l. 1. Montes Sapiros; & l. 4. montes illos collocat inter Colchos & Medos.

inundantes diluvii aquas iter Armeniam versus direxiffe. Porro Arcæ reliquias in fua adhuc regione fervari, tenent hodie pariter Armeni; nec dubitant in Armenia quoque Noemum, ejusque familiam poft diluvium fedes fuas collocaffe.

Totus ergo controverfiæ cardo in eo vertitur, quomodo Moyfes Armeniam *Orientis* nomine designare potuerit; eft enim Septentrionalis maxime regio, qua Babylonix, qua Arabiæ, & Palæftinæ, iis fcilicet regionibus, unice a Legislatore, dum Genefim fcriberet, fpectandis. Sed nullo negotio demonftraretur, confueviffe interdum Hebræos, eadem *Orientis* appellatione designare pariter Affyriam, Mefopotamiam, Syriam, & Transeuphratea; quas fcilicet regiones magis orientales effe Palæftinæ, quam Armeniam, dixerit nemo. Minatur Dominus Ifrælitis, futurum ut hoftes undique adverfus illos concitaret, Syros ab Oriente, ^{a)} & Philiftæos ab Occidente.

Ex Oriente in Palæftinam veniffe Abrahamum, quanquam reipfa ex Haran Mefopotamiæ transmigraverit, Author eft Ifaias 12. 2. a quo pariter afferitur 26. 11. moviffe Cyrum ex Oriente in Babyloniam; cum tamen ex Armenia & Perfide venerit. Scribit Daniel 11. 44. Antiochum Epiphanem, acceptis defectionis populorum Orientis nunciis, commotum fuiiffe.

G 3

Porro

a) Ifai 9. 12.

Porro gentes illæ ipsissimæ sunt Transeuphratheæ Septentrionales potius, quam Orientales Judæis; quas proinde Scriptura familiari phrasi interdum *Septentrionis* nomine designat. Ita enim arma Regum Assyriæ in Chaldæos pronunciat: *Ab Aquilone fumus* Isai. 14. 32. *ab Aquilone pandetur malum* Jerem. 1. 14. Constat re ipsa tamen omnes eas regiones, Armeniam maxime, ita septentrionales esse Palæstinæ, ut ad Orientem vergant.

Posterius Noë e regionibus Armeniæ *in terram Sennaar*, i. e. in Babyloniam venerunt. Vasa Templi Domini in Fano Idolorum suorum *in terra Sennaar* a Nabuchodonosore posita, auferit Daniel 1. 2. Jofue A) de rebus furto sublatis ab Acham sermonem habens, subductum ab illo scribit *pallium Sennaar*, i. e. interprete Aquila, & Chaldæo, pallium Babylone contextum. In regione ergo Sennaar constituta erat Urbs Babylon, quanquam alioquin regio illa multum supra Urbem excurreret, Septentrionem versus, si, uti quidem probabilissime creditur, mons *Sagras*, vel *Singar*, cujus apud Authores prophanos mentio, B) nomen suum derivabat ex *Sennaar*, vel *Sengar*, juxta pronunciationem eorum, qui literam Hain veluti

A) Jofu. 7. 21. אֶשְׁרָף אֶת־הַמִּצֵּבֹת Aqu. σόλην βαβυλωνικῆν 70. σολῆν ποικελῆν, seu σολῆν ψιλῆν ποικιλῆν. B) Strabo l. 16. &c.

luti G pronunciant, uti factum in *Segor*, & *Gaza*, aliisque nonnullis constat.

Nec inito consilio & una simul transmigracione factum credo, ut homines desertis Armenix montibus in Babyloniam transmigrarent. Paulatim venerunt secundum ripam Euphratis & Tigridis, opima pascendis gregibus pascua offerentem. Aucto deinde numero tum hominum, tum gregum, id tandem reputarunt, fieri vix posse, ut in una omnes regione consisterent. Nec in illud tantum consilium venerunt, quod major esset populus & greges majores, quam ut una ferret regio, sed in id maxime propensos confirmavit servandæ pacis & politix difficultas in populo, cujus tot essent principes, quot per familias capita, nulla legis, nulla Monarchix communiõne juncta.

Revocari huc merito possent, quæ de diffidiis Pastorum Abrahami, & Loth Gen. 13. vulgata sunt; cum enim regionis unius pascua amborum opimis gregibus non sufficerent, tollendis inter utriusque Pastores jurgiis & similitatibus, quibus gregis necessitas fomentum in dies majus præbuisset, dissociare utrinque tabernacula, & sedes coacti sunt.

Constitutis ergo ab hominibus in regione Sennaar sedibus, consilium cæptum est agitari de ædificanda Urbe, quam veluti Metropolim, Imperii centrum, & communem patriam haberent. Ad ornamentum & præsidium addere

visum est celsissimi fastigii turrim, hæc secum reputantibus, perpetuum illud mansurum tum nominis apud posteros sui, tum & communis inter se necessitudinis monumentum, ut feris tandem nepotibus, quid hoc rei esset, interrogantibus, reponeretur, posuisse illa Patres suos, quo memoria non peritura maneret, esse se e parente Noë filios. Cum vero, addebant, in varias distitasque provincias dispergi nos omnes contigerit, Babelicam indicantes turrim, hic esse communem omnium patriam demonstrare poterimus, ut varia licet incolentes loca, fratres tamen, & unius veluti Patriæ cives nos esse agnoscamus. Simili exemplo diu post Israëlita ad sedes suas Transjordanicas regredientes, ex aggesta terra struem erexerunt; monumentum posteris suæ cum gentibus cis annem necessitudinis. A)

Istud consilii, uti verosimiliter credimus, homines agitabant, dum turrim & urbem Babelis ædificandam aggressi sunt. B) Aliis tamen aliter visum; reputant enim viros illos bellum in Deos indicere molitos fuisse; quam in rem phrasim sacri Textus expendunt: *Turrim, cujus culmen peringat ad cælum*; tum & titulum Gigantis a LXX. collatum Nemrodo, c)
viro

A) Josue. 20. 2. B) Vide Toftat. in Josue, Abenezra, Levi, Ben, Gerson, Salian. A. M. 1509. & alios plures. C) Genes. 10. 8. 9. *Nemrod cepit esse potens in terra.* Hebr. בארע גבור
70. γίγας ἐν τῇ γῆ.

viro nempe ejus consilii primo, uti creditur, Authore. Quare Gigantes apud Poëtas ipsum e Cælo detrudere Jovem enixi montes montibus superstruunt, ut arma in ipsum inferant Cælum. A)

*Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.*

Narrat Josephus Antiq. l. 1. c. 5. homines e diluvio reliquos novam procellam sibi metuentes aliquandiu in montibus substitisse; cum tandem Sem, Japhet, & Cham omnium primi e crepidine montium in plana descendissent, ac cæteris, ut exemplum suum sequerentur, fuissent Authores, omnes tandem in regionem Sennaar transmigrasse. Tunc Deus alto providentiæ suæ consilio meditans in varia Orbis loca mittere colonias, cum refractarios voluntati suæ haberet homines, spretæ divinitatis injuriam ulturus, flagellum in ipsos excussit. Nec semel Deus præceptum illud refractariis injunxit, sed iterum insistens, iterum jussionibus suis habuit immorigeros; reputantes scilicet, eo consilio se dispergere meditatam fuisse Numen, ut dissipatos perderet facilius.

Nemrod filius Chus, & Chami ex filio nepos, vir consilio promptus & manu, facinoris hujus audaciam cæteris hominibus inspiravit. Jactitabat vir ille identidem sibi accepto referre debuisse felicitatem suam: augurabatur autem

G 5 facile

A) Ovid. Fastor. l. 5. Vide & Virgil. Æneid. 6. & Homer. Odyss.

facile se mortales omnes dicto suo subjectos habiturum, si in defectionem adversus Deum adducere illos valuisset. Quare, ut in partes suas traheret incautos, optimum esse factu proposuit, si celsi adeo fastigii turris excitaretur, ut inundantibus deinceps diluvii aquis in tuto positi insultarent: quo simul molimine ulturos se dicebat Patrum suorum necem, quos Deus immixtis diluvii aquis extinxisset.

Vanis hisce seducti homines promptam manum turri construendæ admoverunt. Cœptum impigre opus, namque imbecillioris esse animi rebantur, si divinis jussionibus morigeros se præberent; & cum rei prosecutioni nec desissent opifices, nec cæmentaria strues desideraretur, proficiebat in dies ædificium; quod tamen, ne citius etiam insurgeret, faciebat mœnium soliditas & crassitudo, ut, qua proportione turris illa in latum extenderetur, eo minus in altum videretur excrescere. Audaciam & obstinationem intuitus Deus, nec tamen perimere omnes sustinens, divisionem & linguarum confusionem inter eos immisit; ut cum alter alterum loquentem auscultare non posset, coacti tandem & destiterunt ab opere, & in varias orbis regiones dispersi sunt. Hæc Josephus, laudans pariter Sybillæ oraculum ferens, homines olim unius idiomatis junctos, celsissimæ turris constructionem suscepisse, quo scilicet veluti scabello cœlum attingerent; sed
Deos

Deos excussa in turrim ventorum, & imbrium procella cæptum opus dejecisse. A)

Authoritas quidem Josephi, cum a scriptura recedit, nullius est momenti; nec majoris supposititia Sybillæ oracula; sed ejus testimonio aperte satis demonstratur, de consilio illo mortalium, ædificandæ scilicet Babelicæ turris, nihil præclare sensisse Judæos. Idem Sybillæ oraculum laudat Eusebius Præpar. l. 9. c. 14. 15. 16. Cui majoris quidem ponderis aliam addit authoritatem Abydeni, & Eupolemi, mentionem de turri illa inducentium, quam constructam dicebant a Gigantibus, perduellionis adversus Deos consilium agitantibus. Ita ergo Abydenus. *Sunt, qui primos homines e terra natos, cum viribus & corporis mole confiderent, potentiamque superis ipsis majorem affectarent, immensæ altitudinis turrim, ubi nunc sita Babylon est, molitos esse dicant; quæ cum jam propius abesset a Cælo, ventos ipsos, navata Diis opera, vastam & immanem eorum in capita substructionem effudisse, cujus ex collapsæ rudibus ea, quam Babylonem vocant, extiterit.*

Eupolemus narrat, urbem Babylonis, & turrim hanc per totum late orbem celebratissimam Authores habuisse Gigantes e diluvio reliquos; everforem autem Deum; Gigantes vero illos per totam late orbis faciem dispersos. Artapanus apud Polyhistorum, sive ipse Polyhistor

A) Idem l. 5. c. 5. pag. 13.

hiflor apud Euseb. l. 9. c. 18. Afferit legi in quibusdam ignotorum Authorum libris, Abrahamum in terram Gigantum venisse; audaces vero homines illos perdidisse Deos sceleribus illorum provocatos: Unum tamen mansisse Belum, qui Babylone confidens ædem sibi elegisset in turri a se constructa, & ejus deinde nomine appellata. Addit, Abrahamum post hæc in Phœniciam & Ægyptum venisse.

Nec meliora sentiunt de constructoribus Babelicæ turris inter Patres plerique. Impium illud consilium a viris scelestissimis, & Deo perduellibus initum fuisse, certum ubique constituit Philo in sua Lucubratione de confusione linguarum. Verba illa: *Ædificemus turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*, ad literam interpretatus videtur S. Augustinus lib. 1. quæst. in Genes. quæst. 21. *Si enim hoc fuit eorum consilium*, ait ille, *ut e summo turris cacumine pertingerent ad cælum, nimium stulta audacia, & impietas eorum deprehenditur.* Et quidem absurda illos sensisse, divinæ ultionis documento intelligimus. Addit autem idem S. Augustinus de civit. l. 16. c. 4. *Quid factura erat humana & vana præsumptio? cujuslibet enim, & quantamlibet in cælum adversus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes transcenderet universos, quando spatium nebulosæ aëris evaderet? Quid denique noceret Deo quantumque, vel spiritualis vel corporalis elatio?* Facile autem credit

eredit alibi, A) Patriarcham Semum in audacibus illis consiliis nunquam communicasse; nihil enim ad illum de imposta cæteris pœna, confusione nempe linguarum; purus namque Hebraicus sermo (quem primævam linguam constituit) in ejus familia permansit. Hæc Augustinus.

Ejus vero Operis Authorem in centoremque ne dubitans quidem constituit Nemrodum, B) ut ex Scriptura intelligere sibi visus est, perhibente Gen. 10. 10. *Principium Regni ejus Babylon.* An vero una vel plures excitatæ fuerint turres, ambigere se profitetur; solenne enim est, ut singulare usurpetur aliquando loco pluralis, ut cum designando alicujus rei generi frequenti sermone dicimus, miles; locusta, rana &c. Recepta tamen vulgo opinio tenet, in unius tantummodo turris ædificationem juncta opera homines conspirasse.

Author Libri Sapientiæ 10. 5. ædificium illud præ oculis habuisse visus est, cum scriberet: *In consensu nequitiae cum se nationes contulissent, hæc (Sapientia) scivit Justum, & servavit sine querela Deo;* Sed contextus sermonis Abrahamum insinuat, inter medios Idololatrias illæsum a corruptione servatum. S. Johannes Chrysoströmus hom. 30. in Genes. pluribus reprehendit consilium primorum hominum, Babelicam turrim ædificantium, audacia illos,

a) De Civit. 1, 6. c. 1. b) De Civit. 1, 16. c. 4.

illos, superbiæ, & vanitatis accusans. Scripturæ textus insinuare videtur illum, quo homines tenebantur, metum, ne a Deo mutuo divellerentur; & quid sibi cautionis evitando malo præstiterint. *Faciamus*, reputabant illi inter se, *nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum.* Et infra de Nembrod ait Scriptura: *Nemrod cæpit esse potens in terra, (Gigas) & erat robustus venator coram Domino.* Tertullianus adver. Praxeam c. 16. pag. 509. *superbissimam turrim* ædificium illud appellabat, ratus descendisse Filium Dei, ut opus everteret, atque ædificantium idioma confunderet.

Eutyechius Patriarcha Alexandrinus, qui Orientalium plures traditiones in suo Opere collegit, refert, Annal. tom. 1. pag. 51. 52. homines cum numero auferentur, in unum cœtum 72. virorum coivisse; A) mutuo autem sese excitasse, ut urbem simul cum Arce ædificarent, in qua pariter construerent turrim, ad cælum usque eminentem, de qua inundantes iterum diluvii aquas inferiores respicerent. Triennium igitur solidum impenderunt compingendis, excoquendisque lateribus 13. cubitorum longitudinis, 10. latitudinis, & 5. crassitudinis. Quibus comparatis, Urbem construxerunt in loco Tyrum inter & Babelem medio; 313. perticis porrectam, 151. latam. Mœnibus

A) Seu potius principes familiarum convenerunt. Vide Epiphaniæ hæresum l. 1. hæres. 39.

DE TURRI BABELICA. III

nibus cingebatur 5533. perticis altitudinis, & 33. latitudinis : turris ad 10000. perticas surgebat, cui non minus quam 40. annorum spatium impensum ; nec tamen propterea opus absolutum est ; intercœpit enim ædificantes missus a Deo Angelus, a quo idioma illorum confusum.

Paria ferme refert Glycas Annal. par. 2. pag. 128. Cœpta est, ait, turris ædificatio anno 536. post diluvium ; Operi vero 40. solidis annis infudatum ; meditabantur autem ab inundantibus iterum diluvii aquis tutum sibi effugium parare. Præerant ædificantibus 72. ex optimatibus. Frustraneos tamen eorum conatus immissa idiomatum inter opifices confusio reddidit. Anni 43. turri, & urbi Babylonis construendæ impensi. Parietibus Typhonis impetu disjectis everfisq̃ue, oppressum Nemrodum Author est Cedrenus Annal. p. 11. & idipsum de Typhonis turbine muros dejiciente legimus apud Sybillam & Abydenum. Malunt alii, terræ concussione ædificium illud corruisse : igne cœlitus demisso ad fundamenta usque arsisse, scribit Benjamin Tudelensis. Mansisse longiori adhuc ætate alii defendunt : nihil ea de re apud Moysem.

Hæc scribentes eo sensim delati sumus, ut turrim illam Babelicam describeremus. In ipso limine expectabunt forte Lectores, ut grande aliquod ædificium oculis exhibeatur ; ex quo enim ad literam verba illa accipiantur, *Cujus culmen*

culmen pertingat ad cælum, nihil erit adeo magnificentum, adeo verbis exaggeratum, quod verborum illorum granditas non superet. Arcem Babylonis, quam ipsissimam credit turrim, post diluvium excitatam, 4000. passuum altitudinem æquasse, ex aliis acceptum refert S. Hieronymus. A) Ad passus 5174. assurgentem describit Ado Chronic. ætate prima; tradens insuper, paulatim in altum coarctari, quo facilius inferiora molis fundamenta imminens pondus sustinerent. Addit etiam post S. Hieronymum, efferri pariter Tempia marmorea, statuas aureas, & plateas auro gemmisque fulgentes, aliaque plura supra fidem, quibus Urbs Babylon distingueretur. Paria legas in Chronico Isidori, cujus Textus habet 4000. passus, in ora autem annotatum est 5174. Quod addunt Authores illi de pretiosis turris illius ornamentis, insinuat plane Templum Beli, de quo plura Herodotus, & Diodorus Siculus; vel arcem in medio Babylonis, cujus Diodorus, & Q. Curtius meminerint; sed omnia augent in majus, hæc enim habet Herodotus l. I. c. 181. 182.

Post-

A) Hieron. in Isai. c. 14. l. 5. pag. 49. edit. Victorii. *Arcem autem, i. e. Capitulum hujus Urbis, est turris, quæ edificata post diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de alto in angustias coarctata, ut pondus imminens facilius a lateribus sustentetur. Describunt ibi Tempia marmorea, aureas staturas, plateas lapidibus auroque fulgentibus, & multa alia, quæ pene videantur incredibilia.*

Postquam enim idem Author pluribus Babylonis Urbem descripsisset, addit, in Urbe & in una ex ejus partibus (in duas enim intersecante Euphrate distinguitur) duos spectari insignis proceritatis muros, quorum alter Ædes Regias, alter Jovis Beli Templum claudunt. Postremum hoc ædificium, cujus ænei erant postes, Herodoti adhuc ætate spectabatur; impositum autem erat areæ quadratæ duorum stadiorum. Assurgebat in medio spatii ejusdem figuræ turris, cujus basis stadium sive 125. passus in longitudine, & totidem in latitudine, A) vel juxta alios Scriptores, in altitudine & latitudine dimetiebatur.

Surgebat supra turrim turris altera imposita, quæ itidem tertiæ fundamentum erat; tertia quartæ, & sic deinceps usque ad octavam. Per gradus in extima molis superficie extractos ad summum cacumen ascendebatur, quanquam non perpetuo scalarum ordine; erant enim identidem latiora requiescendi, assidendique spatia.

Octavæ turri insidebat amplissimum quoddam Templum, in quo nulla simulacra, sed splendide stratus lectus, ante quem aurea mensa posita. Noctu in Templo quiescere nemini, ait Herodotus, permissum, nisi fœminæ inter cæteras ejus Urbis a Belo, uti quidem a Chalæis ejus Fani Sacerdotibus credulis impositum

Calmet Dissert. T. I.

H

est,

A) Herodot. l. I. c. 181.

est, selectæ; Cum qua Deus noctu maritales congressus habere creditus. Idem ritus obtinebat Thebis in Ægypto, in cujus Fano Jovi Thebæo dicato fœmina claudebatur; quod pariter privilegium erat fœminæ Sacerdotium agentis Pataræ in Lycia.

In inferioribus ejusdem Templi Belo dicati ædícula, ait Herodotus, spectatur, ubi colossalis Jovis figura throno assidens, habens ante se mensam positam; ex solido auro omnia, statua, thronus, mensa, & mensæ bases. Totum opus æstimabant Chaldæi 800. auri talentis. A) Extra ædem aliud ejusdem metalli nitet Altare, in quo lactentia tantum animalia mactabantur: pro victimis provectoris ætatis majus aliud positum est. Aliquandiu ante Herodotum e solido auro aliud simulacrum consecratum erat 10. cubitorum; quo excepto, reliqua omnia oculis suis lustrasse idem Author testatur; atque ex fide Chaldæorum refert, Darium Hydaspis furripere illud simulacrum tentasse; sed cum Principis illius molimen irritum cecidisset, Xerxi ejus filio cessit felicius. Singula hæc fusius referre malui, quod ab Authore coævo, & oculato teste memoriæ prodita sint; qui nempe Author abhinc plusquam 2000. annis vivebat, Mundi scilicet anno 3520. & 484. ante Christum.

Hoc

A) Id est 1090000. libris singulis talenti in 2400. libras computatis.

Hoc Beli Templum a Semiramide constructum refert Diodorus Siculus l. 2. nihil se tamen de illo certi scribere protestatus, tum quod Authores inter se non consentent, cum etiam, quod sua ætate nihil de illo restaret; sed ultro fatetur, turrim hanc ad celsissimum erectam fastigium conscendisse Chaldæos, ut siderum ortum & occasum specularentur.

Totum opus lateritium erat, & bitumine multo opere & artificio cæmentatum. Superiora Templi tenebant, a Semiramide dicata, tria simulacra, Jovis nempe, Junonis, & Rheæ. Jovis statua hominem exhibebat gradientem, 40. pedibus procerum; pondere autem erat 1000. talentorum Babyloniorum; assidebat Rhea 1000. talentis ponderans, cujus ante pedes stabant duo leones, & totidem angues argentei 30. talentorum pondo. Juno tandem 800. talentis gravis stringebat dextra manu anguis caput, & sceptrum gemmis internitens sinistra. Ante tria illa Numina excurrebat ex ductili auro mensa 40. pedum longitudine, 17. latitudine, & 500. talentorum pondo. Hæc omnia ab Herodoto, immane quantum! discrepant.

Ætatis suæ testis Plinius asserit l. 6. c. 26. *Durat adhuc ibi Jovis Beli Templum*: sed illud senio corruisse vetustior Plinio Diodorus Siculus testatur. Refert Josephus contra Appion. l. 1. Alexandrum Magnum, cum primum Babylonem venisset, reparandæ illius consilio

purgari aream militibus suis commisisse; ac parentibus omnibus, solos renuisse Judæos, neque minis, neque injuriis territos. Cum opus temporis longius spatium exigeret, consilium exequi Princeps, morte præventus, A) eo ipso anno, quo opus inceperat, B) non valuit. Ita Templum Beli semel funditus eversum a Xerxe post infelicem ejus adversus Græcos expeditionem, C) nunquam deinceps restitutum est. Hæc Strabo l. 16. & Arrianus de expedit. Alex. p. 159.

Sed contraria plane asserit Herodotus, oculatum se testem Templum illud sive turrim Beli spectasse affirmans. Constat autem scripsisse illum post Xerxem, nonnisi sex annis a fuso ejus Principis exercitu anno 3526. Xerxes autem jam inde a 28. annis diem clauferat, cum Historicus idem in frequenti Græcorum concione librum suum recitavit. A. M. 3559. ante Christum 445. Constituamus ergo oportet ejus Templi everisionem inter annum 3559. & 3681. quo scilicet ejus reparandi consilium Alexander inivit.

Sed negotium facit, an turris vel Templum, de quo hic sermo, ipsissimum sit a Moyse insinuatum; non enim inter Scriptores ea de re convenit; affirmantibus enim aliis ædificium illud excitasse Nembrodam una cum Gigantibus e dilu-

A) Strabo l. 16. pag. 741. Arrian. l. 7. B) A. M. 3681. ante I. C. 323. C) A. M. 3526. ante Christum 476.

e diluvio reliquis; A) contra excipiunt alii, opus vindicantes Belo, B) vel Semiramidi, c) vel Nabuchodonosori. D) Constat plane, solemne fuisse Orientalibus, conditæ Urbis vel molis honorem ejus reparatori, vel qui ornandum augendumque illud suscepissent, tribuere. Ita non raro in Scriptura Princeps aliquis conditæ Urbis author perhibetur, quanquam ante illum Urbem stetisse illam constat; quod scilicet vel munitionibus illam cinxerit, vel everfam reparaverit. Ita pariter Nabuchodonosor florentem diu ante se Babylonem ædificasse gloriatur Daniel. 4. 27. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Fieri ergo optime potuit, ut Nemrod, & posterius Noë Urbis & turris Babylonicæ fundamenta locarint, quæ postea ædificia Belus perfecit, ornarit, & Belo ipsi dedicarit Semiramis; ac tandem fulgentis jam Urbis nitorem auxerit Nabuchodonosor.

Belus Assyrius, qui Babylone regnabat post Arabes, congruit ætate cum Samgar Judice Israël. E) Ninus ejus filius Imperium Assyrium fundavit anno 2737. cujus deinde

H 3

pon-

A) Vide Sybillam apud Joseph. Antiquit. l. 1. & Euseb. Præpar. l. 9. Eupolem. & Abydenum apud eundem ibidem. B) Q. Curt. l. 5. Abyden. ex Megasthen. apud Euseb. Præparat. l. 9. c. 41. C) Ita Ctesias & ex illo Diodorus, Strabo, Trogius, & alii plures. D) Vide si placet Daniel. 9. 27. Joseph. Antiquit. l. 10. c. 11. E) A. M. 2689. ante Christum 1311.

pondus Semiramis ejus uxor post illum sustinuit anno 2789. Quare Moyfes nec de operibus Beli, nec Semiramidis agere poterat. Qui vero Belum ipsissimum esse Nemrodum reputant, in Anachronismum apertissime incidunt, nisi alterum Belum invehant Patre Nini multo vetustiore.

Apud Prophanos Ninus Ninive Urbem condidit, quam tamen Nemrodi ætate jam floruisse A) fat constat. Reparavit ergo Urbem Ninus, auxit, munitionibus vallavit, ornavit; Nemrod vero sive Assur primus illam condidit: ex quo aliud conjecturæ nostræ accedit argumentum, Babylonem scilicet fundasse Noëmi posteros; sed idiomatum confusione turbatos, imperfectam reliquisse; quare supremæ manus cæpto operi imponendæ sua singuli ætate studuerunt, Belus, Semiramis, & Nabuchodonosor; quibus authoribus id incrementi Urbi accessit, ut ejus conditæ honorem sibi singuli vindicarent.

Post Alexandrum Magnum nihil satis certi de turri Babylonica. Facile ipsis obruta ruinis suis, oblivione sepulta est; & cum Plinius sua adhuc ætate superesse testatur, Herodoti textum habens præ oculis, verbum verbo reddebat. Stabat enim Herodoto in vivis agente; & post illum usque ad Plinium magnæ rerum vices in Babylonia.

De

A) Gen. 10. 11.

De Turris hujus celsitudine filet Herodotus l. i. inferiorem tantummodo, nempe octavam in fundamento collocatam, stadio in quadrum gyrasse referens. Stadio assurgentem & porrectam in quadrum, nempe passibus 125. Strabo testatur l. 16. init. pag. 738. Est enim, ait, quadrata pyramis lateritia; everfa est modo, dejiciente, uti quidem creditur, Xerxe. Restituere Opus tentavit Alexander; sed cum immensi esset & laboris & temporis, non minus enim quam 1000. hominum bimestri spatio impensi sunt, ut e ruderibus aream purgarent; cum, inquam, tanti esset moliminis opus, nec Alexander, morte statim præventus, valuit perficere, nec ex ejus successoribus alter in ejus curæ partem venire sustinuit. Hæc Strabo, qui turrin illam seu pyramidem Beli sepulchrum appellat.

Rabbini in Libro *Jalcus* turrin Babelicam assurrexisse 27000. passibus comminiscuntur: quam etiam mensuram in Libro *Pirke* prorogant usque ad 70000. quò nempe numerus respondeat 70. Angelis throno gloriæ assistentibus, & 70. populis, quot tunc in orbe agebant, ac totidem linguis, in quas Babelica confusio unicum antea sermonem dispescuit. Ejus ædificii fundamenta 2000. longitudinis passibus dimititur Benjamin Tudelensis; addens, turrin æquasse in latitudine 240. cubitos, vel 360. pedes, in longitudine vero 100 perticas, vel

600. pedes. Porro ille non nisi de everfæ illius molis ruderibus, qualia oculatus testis spectavit, egisse credendus est, cum diu antea jacuisse prostratam constet.

Itinerantes cæteri, cum in eas regiones venissent, curas suas omnes impenderunt, ut de celebratissimo vetustatis monumento aliquid resciscerent; sed cum inter illos non satis conveniat, nihil est, ut aliquid ex illis capiamus adjuvamenti. Circumjacentes populi certum locum veteris Babylonis ignorant; & alta illa, quæ regiones tenet, ignoratio, portentosas adeo apud illos invexit fabellas, ut de eorum credulitate nihil nobis scientiæ adjungatur. Narrat Gujon ex relatione duorum virorum Abbevillensium, qui mancipii jure servierunt Præfecto Bagdat, turrin Babelicam molem esse lateritiam (singulis lateribus ad brachii mensuram) rotundam, bitumine & argilla cæmenti loco cohærentem, altitudinis 50. perticarum, vel 300. pedum. Commode ad ejus culmen evaditur non per gradus, sed per viam in muri crassitie paulatim ascendentem, viam autem adeo spatiosam, ut 20. simul gradientes homines capiat. Crassus est murus ejus molis 100. passibus, & pro dato decem brachiorum spatio, patent januæ rotundæ, unde in interiora ædificii aditus; sicut & dispositæ sunt ad transmittendam intus lucem fenestræ, pro dato quolibet 6. brachiorum spatio. Extimam superficiem ornant

nant in sculptæ figuræ Caputum virorum, feminarum, animalium, quadrupedum, piscium, & avium. Hæc Author, peristere adhuc Babelicam turrin intactam autumans.

D. de la Boulaye apud Daviti A) refert, contulisse se, exploraturum reliquias turris Babelicæ, in locum tribus leucis a Babylone, in agro inter Euphratem & Tigrim medio. Spectasse autem turrin intus solidam, B) speciem habentem montis potius quam ædificii. Basis ejus, ait, gyrat facile 300. passibus circiter, quanquam & aggesta circum rudera aream occupant 40. seu 50. passuum circiter.

Ita vero ædificium illud construitur. Sex lateritii ordines primum spectantur, postea septem, & sic deinceps alterno ordine usque ad summum. Inter sextum & septimum ordinem e palea recenti adhuc veluti lectus insternitur, tribus digitis crassus. Lateres singuli pedem Regium habent in quadro, 6. digitis crassi; cæmentum, quo inter se cohærent, digito circiter crassum est; mixtura est autem e terra & bitumine, quali hodie usque ejus loci incolæ pro cæmento utuntur; scatet enim perenni fonte in lacu proximo bitumen. Numerasse se dicit Author 50. ordines 6. laterum, quibus alii 7. succederent, ut proinde totius molis altitudo

H 5 ad 138.

A) Davit. pag. 316. 317. B) An forte paria insinuat Herodotus agens de turri Babylonica Templi loco Belo dicata, illis verbis: *Turris solida ædificata est?*

ad 138. regios pedes assurgeret. Patet in cacumine amplior quædam fenestra; in basi vero antrum est, continendis leonibus aptum; & circa medium hiatus interiora penetrans ædificii adusque latus aduersum, pede in quadro non major.

Alia plane sunt hæc ab iis, quæ hucusque differuimus. An D. Boulaye cohæreat cum aliis Itinerantibus, ignoro. Spectantur, inquit illi, in loco, tribus leucis a Bagdat inter Euphratem & Tigrim medio, in vasta quadam planitie magnæ cujusdam turris rudera, vulgari regionis nomine, & traditione creditæ turris Nemrodi. Gyraut rudera illa 300. passibus circiter, surgunt autem majoris olim ædificii vestigia circiter 20. perticis, seu 120. pedibus. Lateribus sole excoctis decem digitorum regionum in quadro, & trium crassitudinis constat opus; sex lateritii ordines alteri contritarum arundinum & paleæ admixtarum ordini incumbunt. De forma hujus ædificii, vetustate undique collapsi, nihil certi. Quadratum tamen potius quam rotundum crederetur. An vero rudera illa Babelicæ turris habenda sint, nec ipsa ejus regionis traditione satis constat. Arabes enim ejus loci molem hanc appellant *Agarcouf*, opus tribuentes Arabum cuidam Principi, qui cogendis in prælium suis accensa in ejus cacumine face signum dabat.

Petrus della Valle clari nominis Itinerator eadem, qua cæteri, sollicitudine rudera ejus turris spectaturus venit; sed in descriptione non satis cum aliis convenit. Refert ille, in loco, leucæ quadrante ab Euphrate Orientem versus, spectari rudera quadrati ferme & magni operis ædificii, 1150. passuum circiter ambitu. Superiora, fere ubique in conum, veluti pyramides desinunt. Constat opus lateribus sole excoctis, quibus conjungendis pro cæmento est mixtura quædam e terra & arundinibus quibusdam contritis, quibus colligantibus ex una veluti massa totum opus concretum est. Quo firmior exigebatur ædificii compages, lateres igne excocti & bitumine colligati substituti sunt.

Porro vir iste, de quo modo, delineari sibi curavit duas ejus ædificii minus deformatas facies, Septemtrionalem nempe & Meridionalem, quæ, cum Romam venisset, obtulit P. Kirchero, qui ære incidendas curavit. Qui persuasum habent ipsissimam hanc esse veterem Babelicam turrim, 1. laudant pro se receptam incolarum traditionem, locum illum Babelem appellantium; 2. ejus ædificii materiam, lateres nempe bitumine colligatos, quæ cum relatione turris Babelicæ apud Moysen quadrant; 3. quadrat & locus turris in agro Sennaar ad Tigrim.

Sed facile hæc omnia diluas. Recepta in populo traditio nec constans est satis, nec uniformis.

formis. Aliæ spectantur in Regione turres, quibus eadem appellatio communis. Ad rationem ædificandi quod attinet, nihil in illa peculiare; lateres enim & bitumen pro cæmentaria omni materia hodie pariter obtinet in illis regionibus. Gratis autem certus ille locus pro agro Sennaar & loco turris assignatur. Si quis scientia valeret adeo, ut locum illum turris ad duas leucas præter propter assignaret, illi certe causa adjudicanda esset, atque omni ambigendi remota causa, an turris illa intacta, vel rudibus suis spectanda adhuc subsisteret, certo definiretur.

Sunt, qui turris illius rudera juxta Baldach ad Euphratem assignent. A) Monstrant regionis incolæ ingentem ruderum & lapidum struem, veteris ædificii reliquias, quas propius accedere vetat metus anguium, magno numero in latebris illis versantium. Verum si lapidum strues superest, alterum sane est ædificium a turri Babelica, lateribus tantum & bitumine fabricata.

Paulus Orosius l. 2. c. 6. & post ipsum S. Gregorius Turon. l. 1. c. 6. Histor. Francor. confudisse in unum videntur Urbem, & turrin Babylonicam, quasi pro eodem usurpantes duo illa Scripturæ verba: *Civitatem, & turrin*; nempe, ut ipsi quidem insinuant, Urbem turribus munitam; saltem expresse fatis Authores illi

A) Kornman in Templo naturæ pag. 289.

illi Babylonem conditori Nemrodo assignant. Sed Paulus Orosius notat, reparatam illam fuisse a Nino, vel Semiramide, quibus Authoribus debentur insignia illa ædificia ab Historicis celebrata. Reliquias ejus turris ætate sua adhuc mansisse affirmat Theodoretus in Gen. quæf. 59. asserens pariter, illos, qui oculis rem totam exploraverant, atque frustula ejus ædificii avulsa secum tulerant, optime nosse ædificium illud lateritium fuisse, bitumine pro cæmento colligatum. Nec plura Theodoretus.

Ex his omnibus statuendum censemus, historiæ apud Moysem relatæ veritatem assertam esse maxime, nihilque alicujus ponderis adversus illam objicere potuisse sive Julianum, sive Celsum, cæterosque nostræ Religionis adversarios. Fabellam autem Gigantum, depellere e cælo Jovem nitentium, a Moyse derivari. Neque enim Moyse, utpote Poëtis omnibus vetustior, accipere quidquam ab illis potuit. Celsitudinem vero turris nullo doceri satis assero monumento. Dejectam sive ventorum procella, seu ignis e cælo delapsi vi nunquam constat; quin potius non inverosimiliter credimus, mansisse adhuc post hominum dispersionem. Belus, Semiramis, Nabuchodonosor augendæ conditæ jam Urbi, ornandæque pro sua quique ætate laborarunt. Non Xerxes quidem molem illam dejecit; sed sponte corrui eo temporis intervallo, quod post Herodotum usque

usque ad Alexandrum Magnum defluxit. Alexander ille restituendæ consilium inivit; sed summam operi manum non valuit imponere. Quæ ab Itinerantibus relatæ sunt, veras quidem habemus vetustissimorum ædificiorum reliquias; sed ipsissimam hanc esse turrim Babelicam, hæremus ambigui.

DISSERTATIO

De materia & forma veterum librorum, ac varia scribendi ratione.



Etustissima omnium scribendi ratio, quantum scimus, imaginibus quibusdam vel literis, in lapide lignove insculptis, constabat; cujus generis scripturam vetustissima Ægyptiorum & Chaldæorum monumenta exhibent. Hunc scribendi morem ante diluvium obtinuisse Josephus Antiq. l. 1. c. 3. testatur, cum filios Seth contra duplex diluvium per aquam primum, deinde per ignem, quod Mundo imminere norant, geminas columnas, lapideam alteram, ut aquarum injuriis resisteret, alteram fictilem, ne igne corrumperetur, observationibus astronomicis a se primum factis inscripsisse narret. Has columnas vidisse se idem Historicus sibi persuaserat.

ferat. Nostras in hunc Josephi locum conjecturas dedimus in Commentario ad cap. 6. Genes. vers. 13. Veterum columnarum in Insula Cretæ extantium, in quibus insculptis characteribus Ritus Sacrificiales Corybantium exhibentur, Porphyrius de abstin. l. 2. meminit. Euhemerus, A) Sanchoniato, B) Herodotus, Diodorus Siculus, aliique easdem veteres inscriptiones, historias suas adornaturi, confu- luerant. Characterum vulgarium & commu- nium inventionem Phœnicibus authoribus Lu- canus lib. 3. deputat; cum antea, ait, Ægy- ptiorum hieroglyphica lapidibus insculpta ob- tinuissent:

*Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris;
Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat: & saxis tantum volucresque feraeque,
Sculpraquæ servabant magicas animalia linguas.*

Hæc scribendi ratio per insculptas anima- lium figuras sub secundo Rege Memphis primo excogitata fertur. c) Porro primus Rex Me- nes idem ac Cham filius Noë creditur: secun- dus Thoth; apud Græcos primus Mercurius dictus est. Alter Thoth, sive secundus Mer- curius, quæ hieroglyphicæ scripturæ a primo Thoth de medicina commissa invenit, ea vul- garibus characteribus tradidit. Undenam vero vul-

A) Lactan. Instit. l. 1. B) Theodoret. ser. 2. ad Græc. c) Mat- tham, sæc. 1. ex Syncello.

vulgares literas acceperit secundus Mercurius, nullibi apud Historicos legimus; nec alter sane in Ægypto ante illum usus hifce characteribus occurrit, nisi fortasse Moyfes, qui sæculo ante hunc secundum Mercurium præcedenti, juxta Marſhamum, florebat: A) facile autem nonnullis ante utrumque virum ſeculis, Phœnices eum ſcribendi morem invexerant; neque enim Moyſis ætate primo obtinuiſſe videtur. Noſtra etiam ætate translata ex Ægypto ſtatuæ & columnæ perpetuis inſcriptæ hieroglyphicis ſuperſunt; atque ea ſcribendi ratio etiam poſt inventas literas in ſacris & publicis monumentis diutius perfeveravit. Antiquitati etiam notæ ſunt ſcripturæ in tabulis æneis & plumbeis exarata, cujuſmodi in tabulis Heſiodi carmina primo ſcripta, eaſdemque theſauri loco in Templo Muſarum Bœetia ſervatas narrant. B) Earum maxime uſus in ſcribendis ſœderum, pactorum, atque legum conditionibus fuit; quemadmodum non rara exempla, ſicut & in Scriptura monumenta Romanorum, Lacedæmonum, & Judæorum exhibita demonſtrant.

Obſervationes Aſtronicæ Chaldæorum
720. annorum tabulis lateritiis mandata erant,
juxta Epigenem: *Epigenes apud Babylonios*
720. annorum obſervationes ſyderum coctilibus
laterculis inſcriptus docet, gravis Author in
p^{ri}mis.

A) Moyſes vivebat ſec. 9. Thoꝝ ſecundus 10. B) Utilite des
Voyag. de M. Baudelot de d' Arivai.

mis. A) Leges a Solone in tabulis ligneis, auctore Plutarcho, Aulo Gellio, & Diogene Laërtio, datae sunt; B) hinc, Suida teste, *Axones* illas appellari contigit. Supererant etiam Plutarchi ætate earum Legum fragmenta; c) quamquam nonnullas in lapidibus exaratas extantibus adhuc sua ætate reliquiis Harpocraton narrat. Quæ igitur generales Leges erant, sive de Sacrificiis decernebant, illæ lapideis tabulis insculpebantur; quæ vero particulares, ligneis commissæ. Lapideæ tabulæ triangulares, *Κυβεῖς* appellabantur; Ligneæ, quadrangulares *Ἀζες*, vel *Ἀζοῦες*. Scripturæ genus in illis idem servatum est, quod *Βουσοφιδου* Græci appellant, nempe versibus a læva in dextram, & vicissim alternatim ductis ad instar fulcorum, quos boves arantes in agro imprimunt. Leges duodecim tabularum apud Romanos roboreis pariter tabulis commissas fuisse Scaliger autumavit; quamquam *eboreas* textus Pomponii I. C. præferat. D)

Tabellæ, sive pugillares apud ipsum Homerum commemorantur: *Pugillarium usum fuisse etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum.* E) Porro pugillaria, in quibus acta Judiciorum scribebantur, *Σάνδες*, Aristophanes appellat in *Vespis* pag. 490. Longobar-

Calmet Dissert. T. 1.

I

A) Plin. lib. 7. c. 5. 6. B) Plutarch. & Diogen. in Solon. Gell. in lib. 2. c. 12. C) Vide Mennagii not. in Solon. Diog. Laërt. D) De Orig. Juris l. 2. E) Plin. l. 13. c. 11.

gobardi, cum primum in Italiam venissent, in pugillaribus tenuissimis, & teretibus scribebant, quorum aliqua vidisse se earum gentium characteribus exarata Pancirolus testatur. Solebant autem pugillaria cera liniri, atque ferreis stylis, sive æreis, aut offeis literæ in eadem cera insculpi; styli vero altera pars acuta ad literas exarandas, altera teres ad lituras inducendas; nec desunt, quorum caput ad instar cochlearis rotundi exhibeatur, cui insistentes digiti teretem instrumenti partem supra ceram comprimebant: *Stylus ferreus alia parte, qua scribamus, alia, qua deleamus, affabre factus est.* A) Et Horatius lib. I. Sat. 10.

*Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,
scripturus.*

Prudentius etiam *Hymn. 9. de S. Cassian.*

*Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant;
Qua parte æraris cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti,
Rursus nitescens invenitur ærea.*

Ex his tabulis fasciculus simul compactus librum constituebat, dictum etiam *Codicem*, vel *Caudicem*, nempe fustum; quod scilicet refert fustum ligneum in tabulas dissectum: *Antiqui plures tabulas conjunctas, codices dicebant*, inquit Varro l. 3. de vita pop. Rom. & Seneca de brev. vitæ c. 21. *Plurimum tabularum contextus, caudex*

A) Aug. de vera Relig. c. 20.

caudex apud Antiquos dicebatur. Hisce tabulis inscriptæ Epistolæ inter amicos missitabantur; linea tamen tela involutæ, atque terra quadam vel cera Asiatica obsignatæ. A) Erant etiam buxæ, & eburnæ tabellæ, sed non in usus familiares. Nec defuerunt tabellæ, sed rariores, etiam postquam chartæ, & membranæ usus invaluit.

Post tabellas palmea folia successerunt, ac deinde tenuiores & læviores arborum cortices: *In palmarum foliis primo scriptitatum*, ait Plinius lib. 13. c. 11. *deinde quarundam arborum libris.* Et Virgilius ita Sybillam describit:

*Insanam vatem aspicias, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas, & carmina mandat;
Quæcumque in foliis descripsit nomina Virgo,
Digerit in numerum.*

S. Isidorus carmina quædam Cinnæ in foliis descripta laudat.

*Levis in aridulo malvæ descripta libello,
Prusiaca vexi munera navicula.*

Cum vero ea scribendi ratio usui incommoda deprehenderetur, intimus quarundam arborum cortex familiaris obtinuit, veluti fraxini, ulmi, tiliæ, aceris, fagi, populi, &c. Inde vero libri nomen inditum: *Liber dicitur interior corticis pars, quæ ligno cohæret.* B)

I 2

Cum

A) Plautus in *Bacchid.* . . . *Affer cito. Pist. Quid? Chyl. stylum, ceram, tabellas, & linum.* B) Servius.

Cum autem cortices illi, ut facilius transferrentur, in volumen complicari solerent; inde voluminis nomen, A) quod etiam ad volumina chartacea & membranacea postea translatum est.

Papyrus genus erat calami, ad Nili ripas crescentis, cujus fustum pluribus constabat foliis, simul compactis, quæ acu quadam separata supra tabulas aqua aspersas ad latitudinem folii extendebantur. B) Ita extensum folium subtili quodam glutine, vel lutulenta Nili aqua tepesacta, & præparata linebatur; ac deinde altero super inducto folio, solis ardori exsiccandum totum opus exponebatur. Intima papyri folia delicatissima erant, ex quibus *Augusta papyrus* constabat; quæ illis adjungebantur, *Papyrus Juliam*, minoris illam pretii, reddebant. *Papyrus Claudia* tertii erat generis, inter *papyrus Augustam* & *Juliam* media, quæ Imperatorem Claudium authorem habuit.

Ex his foliis plura simul convoluta, quem Latini *Scapum* appellant, componebant. *Scapus* 20. folia ætate Plinii continebat, deinde decem. Ad opera in ævum duratura, folia illa uno tantum latere scripta, in extrema ora simul glutine conjungebantur, ut volumen pro longitudine Operis extenderetur: ephemeridibus vero, aliisque domesticis usibus digerendis, utrumque latus Scripturæ serviebat. Ejus papyri

a) Valla Elegant. l. 6. b) Salmas. not. in Vopisc.

pyri usus ante ipsam Alexandri ætatem invaluisse, quidquid Plinius refragetur, Guilandinus demonstrat; quamquam nonnisi post ejus Regis tempora evulgaretur. Servabantur in Bibliothecis volumina baculo circumvoluta, cujus bacilli utraque extremitas pretiosi ligni, sive eboris ornamentis distinguitur. Porro baculus ille extremæ libri oræ adhærebat, ex quo illud: *ad umbicuhum perducere*. Repositis vero in armariis Libris, una bacilli extremitas, cui Operis titulus inscriptus esset, prodibat. Papyri Ægyptiæ usus usque ad decimum sæculum, rarus tamen, in Europa mansit. A)

Cum Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti instructissimam Bibliothecam comparasset, ejus exemplum Reges Pergami imitari statuerant; sed Reges Ægypti rem ferentes iniquius, lato edicto, ne papyrus extra Regnum efferretur, caverunt. Quare inita ratione Pergamæi, chartæ cujusdam genus excogitarunt, quod ex Urbe Pergami, *Pergamenum*, sive ex corio membra animalium contegente *Membrana* appellatum est.

Ex his chartis duplex Librorum genus conficiebatur; alterum, quod ex pluribus simul conjunctis in longum foliis pro Operis longitudine distendebatur; alterum, quod ex pluribus constabat, simul confertis, & compactis foliis, quemadmodum & nostra ætate in Libris so-

A) Mabillon. de re Diplom. l. 2. c. 8. pag. 35.

lemus. Volumina, quæ nempe in volumen convolvebantur, cum ex uno tantum latere characteres exhiberent, ideo majoris erant molis, quam cæteri ex pluribus confertis foliis Libri, utroque latere scripti. Universum Livii Opus in parvum quoddam volumen redactum, Martialis commemorat, quod si ad volumina redigeretur, integram Bibliothecam occupasset.

*Pellibus exiguis arclatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.*

Latus illud voluminis, quod unice inscribatur, altero intacto, pagina dictum est; quod autem utrumque latus Scripturæ præbebat, tabellæ, sive tabulæ.

Chartæ, qualis nunc obtinet, ex lineis detritis frustulis, in pultis liquorem jugi contusione, aqua affusa, resolutis, origo adhuc usque ignoratur. Ante 500. annos invaluisse A) ex testimonio Petri Venerabilis, ubi de *rasuris veterum pannorum* instructa charta memoratur, intelligimus. B) Scripturæ lino commissæ apud Veteres innotuerunt; c) quin & frustula quædam veteris Ægyptiacæ Scripturæ in charta nostrati simili adhuc exhibentur. Parthi ætate Plinii, d) licet papyracea planta in ripis Euphratis jam innotuisset, veterem tamen morem in vestibus suis scribendi retinere maluerunt.

A) Vide Mabill. de re Diplom. lib. 1. cap. 8. pag. 38. B) Contra Judæ. in Bibliot. Cluniac. pag. 1070. c) Vide Liv. Dec. 1. l. 4. & Vopisc. in Aurelian. d) Plin. l. 13. c. 11.

runt. Eodem etiam Plinio teste, ante inventam papyrum publica monumenta in tabulis plumbeis, privata vero in lineis exarari consueverant. *Lintei libri*, in quibus Magistratum Romanorum scripta nomina, & Reipublicæ Commentarii digesti, atque in Templo Dæ *Monetæ* sub Reipublicæ crepundiis asseruati a Livio memorantur Decad. I. l. 4. & 10. Hi plane Libri in usus sacros tunc temporis familiares erant.

Post evulgatos Scaligeri, Bocharti, Vossii, aliorumque plurium Commentarios, nemo fere amplius dubitat, quin primi, quibus Moyse usus est, characteres, Phœnicii fuerint; de illorum tamen origine inter Eruditos non satis convenit. Sunt, qui illorum inventionem Chaldæis, vel Assyriis tribuentes, eorum tamen decus credant sibi usurpasse Phœnices, in quos, quemadmodum & in alias gentes, usus invaluit, primos se earum literarum authores jactitantes. Alii vicissim in Assyrios ipsos & Chaldæos, derivatas a Phœnicibus literas, malunt. Ex hoc sententiarum dissidio, quam modo discutiendam suscepimus, controversia emergit; de origine scilicet characterum, quibus Moyse usus est.

Arbitrantur quidem nonnulli, Abrahamum acceptas in Syria literas posteris Chananæis tradidisse; sed alii Patriarchas ipsos, quas semel didicerant in Chanaanitide literas, in Ægypto

una cum Chananæorum lingua servasse, atque in usus familiares usurpasse contendunt. Verum absque eo, quod huic implexæ quæstioni de literarum origine implicemur, ea nobis impræsentiarum statuenda sunt; nimirum eos, quibus Moyfes usus est, characteres, ipsissimas esse Ægyptiorum literas, easque cum Phœniciis characteribus prorsus confundendas. In hac autem postrema hujus nostræ assertionis parte, totam disputationis vim constitui oportere satis intelligimus; Moysem enim earum gentium characteribus usum esse facile omnino crediderim, quibuscum Hebræi longo jam commercio, atque ipsiis etiam moribus quam plurimum communicaverant; ne quid dicam de Ægyptiorum literatura, qua Moyfes, Regia educatione a filia Regis Ægypti filii loco enutritus, imbutus est.

Ægyptiorum characteres ipsissimos esse cum Phœniciis sive Cadmæis, a Cadmo in Bœotiam translatis, P. Kircherus operose contendit; sed ea profert opinionis suæ argumenta, quibus sane non omnibus æque Eruditis persuasit. A) Totus est Author in expendenda Cophiticarum literarum, quas recentiores esse, & ex Græcis expressas defendit, cum Græcis similitudine. Quidquid sit; illud fateamur oportet, apud Ægyptios, præter Hieroglyphicos characteres, aliud in usus vulgares Scripturæ,

A) Vide apud Valton. Proleg. 2. n. 18.

pturæ, & characterum genus obtinuisse: cujus licet formam neque Herodotus lib. 2. neque S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 5. expresse-
rint; ex eorum tamen silentio facile colligi-
mus, a ratione scribendi Gentium finitima-
rum, in quibus characteres Phœnicos obti-
nuisse non inepte conjicimus, non ablusisse.
Narrat Herodotus, Ægyptiorum scripturam a
dextera in lævam ductam; eamque nodosis
quibusdam & tortuosis in modum rotæ imple-
xis apicibus (quod cum Phœniciis characteribus
quadrat) expressam Apulejus describit. A)
Ante inventas Phœnicum literas, ait Lucanus
Phraf. l. 3. apud Ægyptios nulla erat parandæ
papyri ars; insculpta in lapidibus animalia, &
magicæ quædam figuræ unice pro characteri-
bus habebantur. Poëtæ igitur sententia Ægy-
ptiorum veteres characteres cum Phœniciis
confundit. Sub Agesilao Rege in tumulo Alc-
menæ Thebis in Bœotia, tabella quædam ænea
inventæ est, authore Plutarcho in libello de
Dœm. Socrat. veteribus perpetuis characteri-
bus inscripta, ignotis illis, etiam post inspe-
ctas pleniori luce atque a situ repurgatas figu-
ras; literæ tantum barbaræ Ægyptiis simillimæ
deprehensæ sunt. Missa igitur in Ægyptum

I 5

tabula

A) Metam. lib. II. ad fin. De operis adysi profert quosdam
libros literis ignotabilibus prænotatos, partim figuris hujusce-
modi animalium, concepti sermonis compendiosa verba suggere-
rentes; partim nodosis & in modum rotæ tortuosis, campala-
siuque condensis apicibus &c.

tabula rerum antiquarum peritissimus Chonuphis consultus, post excussa sedulo veterum librorum Ægypti monumenta, respondit, veteres in ea tabula literas Ægyptiacas, quales sub Rege Proteo obtinebant, expressas esse. Veteres ergo illi Cadmæi characteres, a veteribus Ægyptiorum literis non distinguebantur; nec proinde ab utrisque Phœniciæ literæ abhorruisse debuerant, si verum sit, uti ne ambigimus quidem, Cadmæas easdem fuisse ac Phœnicias literas. Vossius pluribus, nec spernendis rationum momentis firmat, ante Cadmi adventum characterum in Græcia usum per Cecropem innotuisse. Porro Cecrops Ægyptius genere, non alias detulisse in Græciam literas videtur, quam Ægyptias; ex quo illud consequitur, Græcas veteres ab origine literas cum Ægyptiis confundi oportere. Apollodorus, alique ex veteribus A) Cadmum ipsum ex Ægypto repetentes, Thebas Ægypti reliquisse tradunt, antequam ad Thebas Bœotiæ condendas se contulisset.

Fatemur quidem, Origenem B) characteres Hebræos ab Ægyptiis & Phœnicibus distinxisse; sed opinionem ille suam nullo rationum momento fulcit, id tantum demonstrasse contentus, Hebræorum vernaculam linguam aliam esse ab Ægyptia; quin & in ea fuisse sententia videtur, post longam in Ægypto defuetudinem,

A) Euf. Chron. l. 2. an. 562. B) Cont. Cels. l. 3.

nem, tandem Hebræos in egressu ab Ægypto veteris linguæ usum Divino prodigio recepisse; quam in rem Prophetam quemdam Hebræum, suppresso tamen nomine, ignotumque laudat. Sed una Origenis autoritas minus sane, quam tot rationum momenta, valet.

Nunc de materia & forma veterum librorum apud Hebræos agendum. Quanquam de Libris frequens sit apud Moysen sermo, nullum tamen describit, præter duas illas tabulas, in quibus Dei opera Decalogus exaratus est; quas ille læves & utroque latere inscriptas exhibet. Quorsum autem duo hæc sedulo idem Moyses adnotasset; nisi ut plane intelligeremus, eas tabulas a cæteris libris in eo discrepare, qui scilicet ligneis tantum tabulis, & uno tantum latere inscriptis constabant?

Porro quæ in tabellis ligneis & lapideis scribendi obtinebat consuetudo, omnium vetustissimam fuisse novimus; nec sane quoties de libris apud Moysen agitur, aliquid occurrit, quod commode de hisce tabellis explicari non possit; nihilque vicissim legimus, quod corticeorum, papyraceorum, atque membranaceorum voluminum ideam aliquam ingerat. Quare ut librorum nomine A) apud Moysen ex his tabellis compactos libros intelligamus, pronum est. *Voluminis* enim nomen in Vulgata Pentateuchi

A) Sopher. 750

chi tantum, sed non in textu Hebræo, ne vel semel quidem, legitur. Extat tamen in textu Jeremiæ, Ezechielis, Esdræ, Pl. 39. & in Zacharia. Neque Rabbinorum sententiam moror voluminibus membranaceis, vel papyro Ægyptia usum Moysen autumantium; cum membranas, atque papyrum Ægyptiam Moysis ætate longe posteriores fuisse, neminem lateat.

Cum igitur apud Moysen mentio inducitur de Libris Fœderis, Legis, Repudii, de Libro, in quo descriptæ prius maledictiones, deinde in aqua, ad explorandam fœminæ de adulterio suspectæ causam, eradebantur; sicut & cum de reponendo Libro Legis ad latus Arcæ agitur, nonnisi ad tabellas & asseres hæc omnia deputamus. Hinc septuaginta Hebræum *Se-pber* constanter vertunt *Axones*, quo sane nomine appellantur tabulæ, in quibus Leges, uti supra diximus, exarabantur. Hunc ipsum scribendi in ligneis tabellis morem exprimit Author libri Job. 19. 24. *Quis mihi det, ut exarentur (sermones mei) in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Hæc pro Scriptura in ligno, plumbo, silice exarata, apertissima sunt. Nec etiam ambagibus Salomonis verba implicantur, cum misericordiam & veritatem in tabulis cordis sculpendas admonuit Prov. 3. 3. Jeremias 17. 1. grandioribus verbis paria exprimens, Judæorum crimen in tabulis cordis eorum stylo ferreo & ungue

ungue adamantino exaratum pronuntiat. Quin & Deus minitatur, se, post everfam Jerosoly-
mam, invisæ urbis memoriæ abolendæ ductu-
rum, & reducturum *crebrius stylum super faciem*
ejus 4. Reg. 21. 13. Minas a se in Judæos pro-
nunciatas Isaïæ scribendas Deus edicit: Isa. 30.
8. *Super buxum, & in libro diligenter exara il-*
lud. Ezechiel, acceptis ab Ephraimitis aliis-
que Tribubus sibi faventibus, sicut & ex Juda
tabellis, Librum compegit, quem, sicut &
singulas paginas, Librum ligneum appellat,
Ezech. 37. 19. Deus ad Habacuc 2. 2. *Scri-*
be visum, & explana super tabulas, ut percur-
rat, qui legerit eum. Scriptæ a Davide pro
nece Uriæ Epistolæ, quemadmodum & Jeza-
belis, nomine Achabi, litteræ in Naboth da-
tæ, *Sepher* in Scriptura nuncupantur, A) quæ
quidem ipsissima est pugillarium Hebraica ap-
pellatio; ut argumento sit, similem viguisse
scribendarum, atque obsignandarum epistola-
rum apud Hebræos morem, quem supra Græ-
cis & Romanis tribuimus.

Principum edicta tabellis, non secus ac
epistolæ, commissa, Regio sigillo obsignata
ad Provincias transmittebantur. *Ipsæ epistolæ,*
nomine Regis scriptæ, annulo ipsius obsignatæ
erant, & missæ per veredarios, Esth. 8. 10. In
foro autem locisque publicis Urbium suspen-
sæ exponebantur: *Edictum Regis pependit in Su-*
san

A) 2. Reg. 11. 14. & 3. Reg. 21. 8.

san &c. Ibid. vers. 14. Publica instrumentorum forma, qualis in rebus vendendis servabatur; in historia empti a Jeremia A) agri Hananeelis exhibetur; ipse scilicet Propheta pacta conventa in tabella digessit, atque adhibitis testibus, instrumentum sigillo munivit; dein pecunia ad libram perfoluta est: *Scrissi in libro,* B) *& adhibui testes, & appendi argentum in statera.* Testium nomina instrumento subjecta fuisse ex Hebræo, c) Septuaginta, & Arabico intelligimus: *In conspectu testium, qui scripservant.* Ex alia tamen Hebraici textus punctuatione, testium nomina solum a tabellione inscripta erant instrumento, quam legendi rationem servant Chaldæus, Syriacus, & Vulgata: *Qui scripti erant in libro emptionis &c.* Quæ posterior lectio præferenda videtur, obtinente hodie usque in Oriente more, d) ut instrumenta non signentur quidem, sed proprio testiumque sigillo obsignentur. Porro scriptum illud originale ratumque sigillo ita muniebatur, ut nisi vel disrupto sigillo, confractove lino aut filo, quo totum obvolvebatur, nunquam legi potuisset; eaque inita ratio est, ut omnis in literis & subscriptionibus dolus malus præcaveretur.

Ut

A) Jerem. 32. 9. 10. B) בספר C) חבתים בספר
 D) לענו העדיז Chardin. Voyage de Perse l. 2. p. 90.
 & Gouvernement des Perses p. 212.

Ut autem pro data occasione consuli instrumentum posset; alterum ex autographo transcriptum, absque sigillo & obvolucris in testa repositum servatum est, ut non obscure in *vers.* 14. exprimitur: *Sume libros istos*, ait ad Baruch Jeremias, *librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est.* Duo hic instrumenta memorantur; quorum alterum ab altero, sigillo tantum originali appposito, distinguebatur; uti diserte Syriacus: *Accipe Syngraphas istas; Syngrapham hanc emptionis obfirmatam, & Syngrapham hanc minime obfirmatam.* Inter Commentatores quidem de numero horum instrumentorum non satis convenit. Arabicus enim unicum tenet: *Accipe librum emptionis, qui lectus fuit, & obfirma illum;* Ludovicus de Dieu in *vers.* 11. tria distinguit; nempe: *Librum emptionis* A) sigillo munitum; alterum, cui in Hebræo nomen inest *præceptum*, B) & tertium, quod *statuta* appellatur. C) Verum nos textui inhærentes, duos tantum admittimus; cum potissimum & tertium invehere nulla necessitate cogamur.

Quo autem Syngrapha illa originalis sigillo munita est? sunt qui annulo Jeremiæ credant; sunt qui Tabellionis; ac tandem Grotius, & Prophetæ & testium sigillo obfirmatam asseruit; gratis omnes. Non defuerunt, qui ad nostros mores veteres consuetudines

א). ספר המקנה ibid. ב). המצוה ibid. ג). החקים ibid.

dines redigentes, appensam instrumento obsignatoriam bullam, publicum sigillum præferentem, autumaverint; vel saltem eo sigilli genere clausam, quo apud nos litteræ obsignatæ & breviculi solent, in quibus sive arma, sive Regis ad pectus usque expressa imago cernitur. Sed omnia hæc, præterquam quod recentiora sunt, quam cum veteribus quadrent, cum voce Hebræa *chatam* minime congruunt; nihil enim sonat nisi obsignare, obvolutum, ut in epistolis fieri solet, aliquid habere.

Geminæ etiam a Deo traditæ Moyfi tabulæ, Divini cum populo fœderis jura continentes, hujus consuetudinis, gemini scilicet conficiendi instrumenti, ut rerum fides in judiciis atque posteritati constaret, argumento sunt apertissimo. His tabulis recondendis Arca quædam, quam nos Fœderis appellamus, fabricata fuit; eaque in Tabernaculo reposita, ut scilicet commode, quoties de infidelitate atque violati fœderis crimine populus arguendus esset, tabulæ illæ confulerentur.

Moyfis liber, in quo Gentis historia, legum & cæremoniarum canones continebantur, ejusdem Legislatoris jussu, ad latus ejusdem Arce, quo facilius & consuli, & transcribi potuisset, reconditus est. A) Regi enim peculiari lege injunctum a Moyse est, ut ex Legis præceptis singula, quæ ad ipsum spectarent,

A) Deut. 31. 26.

rent, solerti cura descripta apud se retineret.

A) Cum vero Samuel Regem Israëlitis constituit, ejus rei instrumentum una cum juribus novæ illius politiæ, in Tabernaculo coram Domino deposuit. B)

Quod in Jeremia legimus, de reposita in vase fictili syngrapha, ipsissimum Græcis receptum moribus observamus. Aristophanis Scholiastes, ad v. *Echinos* c) vasi æreo sive fictili commissa tradit instrumenta, eaque omnia scripta, quibus publica in judiciis fides constare debuisset. Porro vasa illa nec obvium erat singulis recludere, nec nisi capitali crimine confringebantur. Est etiam de eodem *Echino* apud Demosthenem & Aristotelem mentio. Ex eodem Aristophane factum scimus, ut impositis ostreis & squammis sigilla custodirentur, metu, ne forte vel delerentur unquam, frangerentur, vel adulterarentur. D) In vase seu dolio fictili inventas legimus ab Origene Versiones Græcas Scripturæ, quæ sub quintæ & sextæ nomine innotescunt.

Mos epistolas obsignandi, quemadmodum & edicta, atque tabellas, quibus Prophetæ visiones suas committebant, tam notus est in Scriptura, quam quid aliud. *Isaias 29. 11. 12.* ad Judæos: *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas,*

Calmet Dissert. T. I.

K

ras,

A) Deut. 17. 18. B) 1. Reg. 10. 26. C) In Vespis pag. 553.
D) Ibid, pag. 471.

vas, dicent: *Lege istum; & respondebit, non possum; signatus est enim.* Deus ad eundem Prophetam: A) *Liga testimonium* (nempe vel filo, vel lino obvolve tabellas, tuis oraculis inscriptas) *& signa* (obsigna) *legem in discipulis meis.* Deus ad Danielelem: B) *Claude sermones, & signa librum usque ad tempus.* Prophetarum iane oracula veluti epistolæ habebantur a Deo ad populum missæ, quas recludendi, Dei injussu, omnibus interdicta facultas: c) *Vade Daniel! quia clausi sunt, signatique sermones.* Nec ab his abludebat Liber septem sigillis obsignatus, quem sibi in visione occurrisse S. Joannes in Apocalypsi testatur; ab utroque latere, extimo nempe & intimo, scriptus erat codex; sed lineo panno obvolutus, septemque obsignatus sigillis Lectores avertebat. Notat Plinius lib. 33. cap. 1. belli Trojani ævo rara adhuc ferri sigilla, quorum loco epistolæ variis nexibus obstringebantur.

In moribus positum fuisse apud Romanos constat, ut d) epistolæ tabellis cera oblitis committerentur; easque panno obvolutas ac sigillo munitas, dein ad amicos transmittabant. Maluerim tamen, hanc scribendi rationem in pactationibus, testamentis, aliisque publicis instrumentis non servatam asserere. Illa enim non raro in tabellis digerebantur, quas
deinde

A) Isa. 8. 16. B) Dan. 12. 4. c) Ibid. vers. 9. d) Vide Plaut. in Bacch. Cic. in Catil. Orat. 3. & in Ver. & pro L. Flac.

deinde tabellas panno obvolutas obsignabant, metu, ne forte adulterari aliquid dolo malo, sive literas quacumque demum ratione immutari contingeret; quod sane non operose fieri potuisset; nec, si ab aliquo præstaretur, facile dolus, nisi tantum ex varia characterum forma (quam tamen vix animadvertas in scriptura a callido veteratore adulterata) deprehendi potuisset; cum alioquin ducto super characteres styliscalce, liturarum ne vestigium quidem apparet. Cum tamen falsariorum calliditas has omnes artes frustra, eo deventum est, ut sub Nerone nova lege huic malo occurrendum censeretur: Quare *adversus falsarios tum primum repertum, ne tabellæ, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur.* A) Porro si de præcavendis in sigillo tantummodo fraudibus ea lege agebatur; frustra filum tertio usque per foramina tabellæ trajiciendum cavebatur; cum vero de facta tecta habenda scriptura res fuerit, consulto cautum est, ut ducto reductoque filo pannus, quo tota obvolvebatur, strictius scripturæ adjungeretur. Porro in scriptura potissimum corrumpenda falsariorum omnes artes versatas fuisse, ex eodem Suetonio intelligimus. De Tito enim hæc scribit: B) *Cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitari chyrographa quæcumque vidisset; ac profiteri se maximum falsarium esse potuisse.*

K 2

Cum

A) Suet. in Nerone. B) Suet. in Tito.

Cum vero in eum, quem diximus, modum instrumenta atque scripturæ panno obvoluta, atque sigillo clausa custodirentur, nullus dubito, quin ad omnem occasionem ex originali apogrypha suppeterent. *Pater natam* (hæc Apulejus in Apolog.) *sibi filiam more cæterorum professus est. Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo asservantur: porrigere Æmiliano tabulas istas, linum consideret, signa, quæ impressa sunt, recognoscat. Iisdem moribus Græci & Romani quoad testamenta potissimum censebantur. A)*

Volumina ex arborum cortice vetustissima consuetudine obtinebant, quantum ex libro Job colligimus 31. 35. *Quis mihi tribuat, ut . . . librum scribat ipse, qui judicat, & in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi? Epistolæ Sennacherib, per Rapsacem ad Ezechiam missæ, in hisce voluminibus descriptæ videntur: B) Tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit ad domum Domini, & expandit eos coram Domino.*

De his voluminibus apertior est in Psal. 39. 11. in Jeremia 36. in Ezechiele 2. 9. & Zacharia 6. 1. 2. sermo. Psalmista quidem scribit; *In capite libri* (Hebr. *In volumine libri*) *scriptum est de me: ac si Deo adeo addictum se profiteretur,*

A) Vide Laërt. l. 5. in Theophr. & Suet. &c. B) Isai. 37. 14. & 4. Reg. 19.

tur, veluti si per scripturam solemniori more se totum illi devovisset. Jeremias 36. in vinculis detentus, cum populo verba facere perhiberetur, Baruch amanuensi suo quædam dictavit, coram populo in atrio Templi legenda. Rex certior ea de re factus, accito ad se Baruch, tres vel quatuor paginis illius Scripturæ, vel, ut habet textus, tribus vel quatuor portis ejusdem voluminis coram se lectis, statim in ignem injici codicem imperavit. Jussa Regius Scriba, cultro prius dilacerato libello, executioni mandavit. Jeremiæ continuo præcepit Dominus, Librum ex integro rescriberet. In ea historia referenda, perpetuo Scriptura utitur voce *Megillatb* מגילת (volumen sonat;) & ea, quæ de cultro Scribæ narrantur, receptum jam tunc morem, calamo & atramento scribendi, satis demonstrant. Manet adhuc idem mos in A) Oriente. Optimæ arundines circa Dauracum ad Sinum Persicum mense Martio leguntur. In fasciculos colligatæ in fimo per sex menses conduntur; ubi & obdurescunt, & pellucida illa superficie ex croceo atroque mixta imbuuntur. Ægyptias & Cnidias arundines, easque quæ in lacu Anaide in Asia nascuntur, omnium optimas habitas fuisse Plinius *lib. 16. cap. 36.* est author.

In eo Jeremiæ textu atramento usus Baruch perhibetur: *Ego scribebam in volumine*

K 3

atra-

A) Chardin. Voyage de Perse tom. 2. p. 108.

atramento. S. Clemens Alexandrinus supplicationem quamdam Sacerdotum Ægypti describens *Strom.* l. 6. Sacerdotem inducit plumis in capite ornatum, librum cum regula in manu tenentem, adjecto etiam ad scribendum atramento, & junco ad characteres formandos. Apud Græcos & Turcas nostra etiam ætate non pennæ quidem, sed arundines ad scribendum obtinent; quemadmodum apud Romanos olim in usu fuisse scimus. Persius.

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.

Quonam instrumento scriberentur volumina, nusquam in Scriptura apparet; frequens vero de stylis pro tabellis, de quibus nos supra egimus, mentio. Porro styli & tabellæ in vagina reconditæ, lateri appensæ deferebantur; vaginam Hebræi *Keset*, Græci *Graphiarium* appellabant. De hoc more apud Hebræos, Græcos, & Latinos nos satis in *Comment. in Ezech.* 9. 2. 3.

Volumina ista uno tantum latere scribi consueverant, quemadmodum & Critici omnes conveniunt, & apud Ezechielem 2. 9. satis indicatur, qui volumen scriptum intus & foris, tanquam singulare describit: *Ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris.* Quam vero exhiberent figuram Priscorum volumina, Zacharias fere depingit: Oblatum est, ait,

ait, 5. I. 2. mihi per visum volumen 20. cubitis longum, 10. latum. Non tamen omnia ejusdem amplitudinis volumina fuisse credimus; sed plane suam extitisse oportet inter codicem istum, & vulgares proportionem. Ex cortice, sive papyro Ægyptia omnia hæc consistisse facile crediderim. Sunt qui morem scribendi in pellibus ex illo Psalms 103. 3. deprehendisse sibi visi sunt: *Extendens cælum sicut pellem*; nempe extendens cælum, velut volumen pelliceum; sed Hebræa vox יָרִי aperte sonat tentorium, vel pellem tentoriis conficiendis. In Tobia 7. 16. & 4. Esdræ 15. 2. vox *charta* occurrit, quæ papyrum Ægyptiam designat. Sed cum in Græco Tobia nihil nisi vox *Biblion* pareat, quæ ex eo libro de figura atque materia codicis laudantur testimonia, incertissima sunt. Sub Macchabæis volumina obtinuisse, A) phrasis illa satis indicat: *Et expanderunt libros Legis*. Eundem morem Judæi olim I. C. ætate, & hodie usque in Synagoga servant, ingentibus voluminibus scriptam Legem & Prophetas custodientes. Hæc apertissime *Luc. 4. 17. 20. Traditus est ei (JESU) liber Isaiaæ Prophetae, & revolvit librum &c. & cum plicuisset librum, reddidit Ministro*. Quæ sane verba volumina fere depingunt; quemadmodum & illa *Apocal. 6. 14. Cælum recessit sicut liber involutus*. De atramento & charta

A) 1. Masch. 3. 48.

mentio occurrit 2. Jo. v. 13. & apud S. Paulum 2. Timo. 4. 13. volumina ex papyro Ægyptia, & ex membranis distinguuntur egregie: *Affer tecum & libros, maxime autem membranas.* Quanquam unicus iste textus est, in quo membranæ apertissime exprimuntur. Tabellarum etiam usus non obscure se prodit in tabella, quam Zacharias, pater S. Joannis Baptistæ, ad scribendum pueri nomen postulavit Luc. i. 63.

DISSERTATIO

In Regionem Opir.

NUllius ferme in toto Orbe regionis situs obscurior, quique Eruditos exercuerit magis, quam Ophireticæ. Quanquam enim sæpius de illo Scriptura, nec obscuros ejus a cæteris distinguendæ characteres exhibeat; plura tamen in eandem regionem congesta creduntur, quæ misere Geographos confundant. Insulam igitur esse autumant, vel saltem regionem maritimam auro, argento, & ebore feracem, pavonibus, simiis, psittacis, lignis pretiosis, & aromaticis, gemmis non infrequentem, Mari Rubro triennii itinere adeundam. Hæc plane omnia, dum Geographi in ali-

aliquam ex Regionibus maritimis, nostra ætate commercio, & earundem rerum affluentia divitibus, conferre student, in varias abiere sententias, totamque rem implicare coacti sunt.

Veterum plerique Ophir apud Indos constituunt, quorum agmen Josephus duxit perhibens Antiq. l. 8. c. 2. vestigium nominis Ophir ad suam usque ætatem in Indiis mansisse, ubi Regio Aurea audiebatur. Eo nomine designasse creditur historicus A) Chersonesum, de qua Ptolemæus, regionem quam nos Malacham peninsulam, e regione Sumatræ sitam appellamus. Lucas Holstenius in not. ad Ortel. post operosam ejus regionis disquisitionem, tandem Indias universas, vel saltem Urbem Supar in Regno cognomine in Insula Celebum, nomine Ophir designandam concludit. Alii in Regnis Malabar, & Zeilan consignant; Hippurim enim, cui nomen Ophir affine, portus est in Zeilan. Alii malunt in Insula Tapobrana, veteribus celebratissima, in quam omnes Ophir characteres quadrasse animadverterunt; sed cum ejus Insulæ situs, non minus quam Ophir, ignotus sit, nihilo ex ea sententia instructiores efficitur. Est apud aliquos Ophir idem ac Ormus in ostio Sinus Persici; est Eupolemo B) in Insula *Urphe* ad Erythræum; est Massæo in Pegu, cujus regni incolæ ex Judæis exulibus, a

K 5

Salo-

A) Riber. Torniel. Adrichom. Marius Niger, Gaspar V. ser.

B) Apud Euseb. Præp. l. 9. c. 30.

Salomone ad fodinas in eas regiones damnatis, originem repetunt; est Lipenio, in libro de eodem argumento, ultra Gangem ad Malacham, Javam, Sumatram, Siam, Bengalam, Pegu &c.

Non desunt, qui Ophir ad Americanum tractum deputarint. A) In Insula Hispana constituit Christophorus Columbus, ejusdem Insulæ primus inventor, qui invenisse se Ophir Salomonis passim jactitabat; testatus in ejus veritatis argumentum, plures deprehendisse cavernas subterraneas ultra 16. mille passus excurrentes, quas ab opificibus Salomonis eruendo auro effossas conjectabatur. Sed Postellus, aliique nonnulli potius in regione Peruana sitam Ophir malunt; eaque illi confidentia rem asserunt, ut classium Salomonis, quasi ipsi deduxerint, iter totum describant. Nihil eorum systemate jucundius, nihil tamen futilius.

Alii vero, nec rari, Indias, & Americam nimis abfuisse, sicut & Arabiam nimis ad Asiogaber, unde classis Salomonis solvebat, accessisse rati, Ophir in Africa quærunt. Eorum igitur alii in Regno Melindæ, vel Sofalæ in plaga Orientali Æthiopiæ Africanæ sistunt, B) cujus Insulæ traditione, etiam in libris descripta, inquiunt, receptum est, Salomonis classem singulis trienniis eo ad aurum asportandum, cujus est regio ditissima, venisse. Jo-
annes

A) Arias Montan. Genebr. Vatab. B) Ortel. Thom. Lopes.

annes dos Sanctos narrat in Monomotapa montem esse Furam, auro optimo egregie divitem, ubi oppidi (Reginæ Sabæ ædes ferunt) vestigia supersunt; eamque regionem cum Ophir confundendam affirmat. Cornelio a Lapide est in *Angola* ad oram Occidentalem Africæ. Quid? nonne aliquibus regio Ophir ipsa est Carthago, Urbs 200. solidis annis Salomone recentior? Paraphrastes Jonathan eam regionem in Africa posuisse contentus, nihil ulterius determinat. Alii Ophir, & Tharsis in Hispaniis collocant. Putat Grotius in 3. Reg. 9. 28. naves Salomonis forte non ad Indias navigasse, sed ad portum ejus Urbis, quam Arrianus *Aphar*, Plinius *Saphar*, Ptolemæus *Saperam*, Stephanus *Saphirinam* ad Arabiæ litora positæ, quam Oceanus alluit, quo Indi merces suas deferrebant.

D. Huetius in Dissertatione de Navigationibus Salomonis, ejus Regis classes nova via deduxit. Ratus enim ille duo maria Mediterraneum, & Erythræum ducto quodam Canali ea ætate juncta fuisse, ut navigia ultro citroque mearent; hanc rationem in explicandi loci. 2. Par. 8. 18. Ubi Hiram Rex Tyri navigia nautasque misisse perhibetur ad Elath in Erythræo, ut Salomonis usibus servirent. Ecqua enim alia via, ait, trajicienda fuissent navigia, nisi per canalem, de quo supra, deducerentur?

Neque

Neque de canali illo utrumque mare jun-
gente, Veterum apertissima testimonia deside-
rantur: sed an illud ad Salomonis ætatem per-
tineret, sola superest difficultas. Huic rei pro-
bandæ testimonia Arabum Scriptorum quædam
affert Huetius, quibus Abrahami ætate Nilus
cum Erythræo canali junctus asseritur; sed
forte Arabum Authorum fides, in re vetustif-
sima & ab eorum ætate remota, Eruditis in
suspicionem vocabitur, cum potissimum alio-
rum Scriptorum authoritati adversetur; quippe
qui canalem illum recenti opere sub Dario, vel
etiam sub Ptolemæis absolutum perhibuerint.
Strabo quidem l. 17. Sesostridem operi manum
admovisse tradit, sed teste Aristotele Meteorol.
l. 1. c. ult. & Plinio l. 6. c. 29. Cum postea
maris aquas reliquo Ægypti solo eminere ani-
madvertisset, rem totam infectam dimisit, me-
tu, ne forte superiores aquæ in imam Ægypti
regionem defluentes, totam demergerent,
simulque annis aquas, Ægyptiis ad potum ne-
cessarias, corrumpèrent. Herodotus l. 4. l.
158. & Diodorus l. 1. scripserunt a Neco filio
Psammetici Rege Ægypti initum canalem illum,
quem a Dario Hytaspis dein absolutum tradit
Herodotus.

Regionem Ophir Præsul ille doctissimus in
plaga Occidentali Africæ, Arabibus *Zanguebar*
constituit; quanquam nomen illud, ait, par-
vam regionem Sophala in eodem tractu desi-
gnaret.

gnaret. Classes igitur Salomonis, trajecto capite Guadarfuy, Africanas oras abradebant. Porro omnia, quæ de Ophir scribuntur, in eodem regionis tractu abundabant.

Goropius Becanus, & Bivarius eam classem non e mari Rubro, sed e Mediterraneo solviffe autumarunt. Tyriis enim constabat navigiis, testante Scriptura 3. Reg. 10. 11. Tharsis locum fuisse ad Mediterraneum alibi probatum est, quemadmodum & Afiongaber ad idem adjacebat fretum. Postremum hoc de Afiongaber, quod potissimum difficultatem facessit, hisce argumentis convincitur. Afiongaber locus erat Idumææ juxta 3. Reg. 9. 16. eam vero regionem non mare Rubrum quidem, sed Mediterraneum, Ptolemæo teste, alluebat. Ad Mediterraneum etiam, addunt illi, loca sunt *Gastion Gaber* apud Strabonem, & *Beto-Gabria* apud Ptolemæum. Nomen Suph non usque adeo peculiare est mari Rubro, quin reliquis etiam fretis conveniat. Suph enim limitem sonat; quare mare Suph fretum est limitum, quod ita mari Rubro aptatur, ut Mediterraneo etiam quadret. Navigatio in Tharsis, & Ophir una est & eadem juxta 4. Reg. 22. cum 2. Paral. 20. 36. collatum; Tharsis vero locum esse ad Mediterraneum negaverit nemo. Horum conjecturæ, quanquam Hornio de orig. Gent. Americ. l. 2. c. 18. probatæ, quoad ea potissimum, quæ de situ Afiongaber, & no-

mine

mine Suph comminiscuntur, vanæ sunt & inanes; cum Afiongaber portum esse Erythræi, cui uni freto nomen Suph adscribitur, ex Scriptura apertissime constet. Potuit equidem Idumæa Geographi Ægyptii ætate ad Mediterraneum usque protendi; quanquam in Scriptura semper inter angustiores fines contineatur.

Mirari prorsus suberit, dum nos procul a Mediterraneo, & Oceano, in Montis Massii, & Saspyrorum, sive regionis Tapyrorum sinu, circa Mediam, Armeniam, & Assyriam, Ophireticam regionem requiremus. Sed ipsa Moy-sis autoritas in eam nos sententiam pertraxit, cujus rei ea proferemus documenta, quæ systema nostrum in eum saltem veritatis gradum apud æquos Lectores constituent, quem cætera hucusque obtinuerunt.

Regionem Ophir ipsissimam esse quam Ophir filius Jectan, vel ejus posterii frequentarunt, non est, cur ambigamus. Solemne est enim in Scriptura, nomen loco ex primo incolarum autore tribuere. De Ophir vero, ejusque fratrum sede hæc Moy-ses Gen. 10. 30. *De Mesa pergentibus usque Sephar montem Orientalem.* Huc igitur nos conferamus oportet, simulque quæramus, num regio sit his rebus, quibus coëmendis classis Salomonis adnavigavit, ferax; num trienni itinere adeunda; num ex Afiongaber per sinum Arabicum petenda.



Sicæ, quæ ad Gen. 10. 29. congeffimus, argumenta, ut Mesopotamiæ, Armeniæ, & regionis ultra Tigrim partem, filiorum Jectan sedem vindicarem, ullius sunt roboris, si montes Mesa, & Sephar ipsissimi sunt montes Masius, & Saspyri, sive Tapyrorum; illud consequatur oportet, Ophireticam regionem non longe a fontibus Euphratis & Tigridis in eo, quem diximus, tractu constituendam fuisse. Plane qui regionem Ophir procul a mari constituerint, plures ante nos occurrunt. Eusebio, & S. Hieronymo de Loc. Hebr. inter annum Cophenem, Indias, & regionem Serum collocatur. Eustathio Antiocheno in hexaëmer. in Armenia sita est, cujus opinio his conjecturis fulcitur. Justinianus Imperator Armeniam universam in quatuor partes distribuit; ex his uni nomen fuit *Zophara*; an eadem cum Sophene Strabonis, Sophane Trogi, Sophanene Procopii? Porro litera R in N facile barbarorum lingua transmutatur; nec raro R in fine dictionis quiescit; ita pro Gadir, usurpatum est Gadis; pro Amilcar, Amilcas; pro Bocchor, Bocchus; ex *pleres* factum est *plenus*; ex *doron* donum; ita *Sopher*, vel *Sopbir*, quod idem est, facile in *Sophene* conversum est. incitum est autem, Septuaginta Græcosque pro Ophir legisse Σωφείη *Sopheir*; contigit enim sæpe litteram S in capite dictionis simplicis aspirationis loco poni. Strabo lib. 11. ad Phasim annum

Sarapenos collocat, eorumque Metropolim ad eam fluenti partem constituit, ubi navigationis impatiens esse incipit. Apud Strabonem mentio fit de maxima Armeniæ parte, quam Veteres Syspiretim appellabant, a Chalachena & Adiabena ad transmortana usque Armeniæ protensa. Sunt ibi, ait, auri fodinæ, atque divitiis regio abundat adeo, ut Alexander Magnus Memnonem cum copiis ad eas fodinas miserit. Pingue est etiam solum, ait, alendis equis, vel ipsis Nisæis arvis in Media nihil concedens. A) Si quis Isthmum ad Septemtrionem penetret, illi certe vestigia quædam reliqua nominis Ophir occurrent in flumine Opharo, & populis Opharitis, B) Sarmatiam Asiaticam, Cholchidi & Iberiæ finitimam, incolentibus. Noti sunt etiam ad Cyrum amnem *Obareni*; de quibus Quadratus; c) eadem facile gens, ac *Iberes* Strabonis, *apud quos torrentes dicuntur aurum deferre, quod barbari perforatis tabulis, & villosis pellibus accipiunt; unde aurati velleris fabula conficta est; & fortasse Iberes eodem nomine vocantur, quo Occidentales, ab auvo, quod apud utrosque reperitur.* D) Facile etiam *Obareni* illi apud Quadratum, ipsi sunt *Suarni* apud Plinium l. 6. c. 11. inter fauces Caspias, Montes Gordyæos, & Pontum Euxinum siti. Gens illa, ait, in-

do-

A) Lib. 11. pag. 368. B) Plin. lib. 6. c. 7. C) Lib. 2. Parthic. apud Steph. in Otene. D) Strabo l. 11. pag. 350.

domita, auri tantum metalla fodiunt. Nomina vero hæc *Obareni*, *Suarni*, *Iberes*, nomini Ophir affinia sunt, maxime si litera B Græcorum more, velut V consonans ad *Phi* accedens, pronuncietur; redderetur enim *Opbareni*, *Supbarni*, *Ipheri*; quod etiam ipsum sonare potest Ophir, juxta variam pronunciandi singulas ejus nominis literas rationem. Ita plane *aurum obrisum* pro *aurum Ophiricum* usurpatum est.

In hanc autem sententiam, ut Ophir constituamus non procul a Phasi & regione Sepharvitarum, quos ipsos credimus Sarapas, incolas Sapavortenes, vel montium Salspyrum, ultro etiam protrahimur; quod in Scriptura aurum Ophir idem esse, ac aurum Parvaim, animadvertamus. In 3. Reg. 9. 26. 27. 28. cui 2. Par. 8. 18. consonat, Salomon immensam auri Ophiretici vim ad Templi ædificium comparasse perhibetur; & 1. Par. 29. 4. pares ex auro Ophir divitias, in eundem usum Davidem destinasse legimus. Cum autem ad opus ventum est, infumpsisse Salomonem narrat Scriptura auri optimi, auri *Phervaim* thesauros; aurum igitur *Phervaim* ipsissimum est ophireticum. Porro *Phervaim*, & *Sepharvaim* idem sunt nomen, adjecta litera S aspirationis loco; quemadmodum cum ex Ophir factum est *Sopfir*. Sunt vero *Sepharvaim*, uti ad Gen. 2. 11. ostendimus, populi inter Colchidem & Mediam

constituti; quo proinde in loco etiam Ophir ponatur oportet. Notum est etiam in Scriptura aurum Phaz, A) Ufbaz, B) & Ophaz; c) quæ diversa nomina unum idemque aurum Phasidis, quem Moyfes Physon appellat, designasse non invito crediderim. Colchidis enim divitias, & Phasidis aurum toti antiquitati celebratissima fuisse, alibi demonstravimus. Adde Ophireticum aurum e torrentibus erui consuevisse, juxta Authorem libri Job. 23. 24. quod ipsum tradunt Veteres de auro, ex ea regione, ubi nos Ophir constituimus, adveſto. Idem Author 28. 6. 16. 17. 19. sapientiam rebus quibusque pretioſiſſimis comparans ait: *Locus Sapphiri lapides ejus* (nempe loci cujusdam) *& glebæ illius aurum.* Sed, proſequitur, sapientia his omnibus utique præſtat: *non dabitur aurum Obvizum pro ea.* (Hebr. autem Ophir) *nec conferetur lapidi Sardonycho* (Hebr. Sobem) *vel Sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.* (Hebr. Phaz) *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia* (Hebr. Pitdath de Cuſch.) Facile Author, nomine regionis aureis arenis, & gemmeis lapidibus divitis, eandem designavit regionem, quam poſtea ſubſequentibus verſibus, nomine ſuo regionem Ophir, Phaz, & Cuſch, quæ auro & gemmis inſignes habebantur, prodidit. Hæc vero omnia nulli melius regioni

COD-

a) Jerem. 10. 9. b) Dan. 10. 5. c) Gen. 5. 11.

convenire credimus; quam Ophireticæ, juxta nostram hypothesim in Colchide, & adjacentibus regionibus constitutæ. Aurum ibi jam olim notissimum erat; neque Sohem, quod ipsissimum esse maragdum alibi ostendimus, rarum habebatur. Sapphirus vulgaris est in Media, & Armenia minori; optimus in Media, Auctore Plinio l. 37. c. 9. eruitur. Porro nomen Sapphirus affine est cum Saphar monte, quem Moyses Orientalem terminum hæreditatis filiorum Jectan, quorum unus Ophir, constituit.

Non ea quidem fumus confidentia, ut certum Ophireticæ regioni situm, atque locum destinemus. In ea, qua laboramus, remotissimæ Antiquitatis obscuritate, regionem circum circa designasse satis fuerit.

At enim quomodo classis in Armeniam & Isthmum inter Mare Caspium, & Pontum Euxinum adnavigare potuerit? Nonne si ea loca ex Judæa adire voluissent, navigia breviori & faciliori itinere per Pontum Euxinum iter fecissent? Nonne Salomoni, & Hiram conduxisset magis, si in aliquo ex Mediterranei portubus, ditionis eorundem Regum, navigia instructa per Pontum Euxinum in Colchidem, atque inde per Phasim in Isthmum transmisset? conduxisset, inquam, magis, quam ut longiori itinere per Erythræum, Oceanum, & Sinum Persicum deducerent? Ea vero regio fuerit quidem

auro metallisque pretiosis ferax; sed nunquid in illa simiæ etiam frequentes, pavones, aromata, gemmæ, ebur, quæ tamen omnia Salomonis classi in Ophir suppetebant? A) Has difficultates ita eluimus. 1. Per Oceanum Indicum, & Pontum Euxinum navigatio tum temporis infrequens erat, atque nondum bene explorato freto difficilis. 2. Classis Salomonis non ad regionem usque Ophir perveniebat; sed in locis commercio eorundem populorum frequentatis subsistens, mercibus onerabatur suis. 3. Neque regionis Ophireticæ tantum divitias Salomonis navigia comparabant; sed si quid rari in oris Africæ, & Æthiopiæ inter eundem offendissent, omnia simul deferebant. 4. Tandem eas, quas Plinius & Strabo pro commercio Orientali designant, vias, non multum illas ab itinere, unde navigia Salomonis deducimus, discrepasse paulo exactius demonstrandum suscipimus.

Quanquam navigationes vetustissimæ apud Phœnices habeantur, non tamen ante Salomonis ætatem, ultra mare Mediterraneum, negotiationis gratia videntur excurrisse; cum amplissima hujus freti litora, vastas licet, eorundem cupiditates abunde explerent. Oceanus & Pontus Euxinus nihil habebant, quod illis in vicinioribus Mediterranei oris non abunde suppeteret. Bochartus, qui Phœnicum vestigia quaquaversum conquirens, in litore
Meri-

A) Vide 3. Reg. 10, 22.

Meridionali Ponti Euxini posteros Gomer & Aschenez constituit; Bochartus, inquam, post Eusebium, unicum tantum Phœnicum iter in Bythiniam notat; sed expeditio illa successione caruit. Oræ hujus freti Septemtrionales nunquam a Phœnicibus frequentatæ leguntur. Aliquanto post bellum Trojanum primo ausos fuisse Phœnices columnas Herculis pervadere, atque in oris Lybiæ Urbes quasdam ædificare, Strabo l. i. testatur. Euxinum fretum, juxta eundem Strabonem, non secus ac Oceanum Veteres metuebant; ut proinde per Pontum adnavigare, res perinde ardua haberetur, ac si ultra Herculis columnas navigio petendum fuisset. Cum autem, addit, miræ res & ignotæ in majora semper opinione augeantur, factum inde, ut fretum illud per excellentiam *Pontus* appellaretur; unde postea, ait, nomen illud facile ad Oceanum transit. Narrat etiam idem Scriptor tum loco laudato, cum libro 3. ab Homeri ætate primo commercia cum Cimmericis Septemtrionalibus in Chersoneso Taurica institui cœpisse. Homerus Salomoni suppar erat. Norat quidem Author, quæ de expeditione Jasonis, cæterorumque pro vellere aureo, aliquanto ante bellum Trojanum, ferebantur; sed Argonautarum navigatio singularis fuit, successione carens: quique etiam Cimmericos exploratos habuerunt, non facile alios adducere potuerunt,

ut longam, difficilem, nulliusque commodi navigationem inirent. Neque enim oras Septentrionales Ponti Euxini incolentes populi divitiis abundant adeo, ut lucro inhiantes mercatores ad se alliciant. Scythæ divitias contemnebant; & Asiæ minoris mercatores expeditius habebant vehendis mercibus suis iter, si terrestri, vel fluviali itinere in Ioniam, Ciliciam, vel Syriam, commercio florentissimas regiones, venirent. Hinc Eratosthenes apud Strabonem l. 1. pag. 38. & l. 7. pag. 307. observat Pontum Euxinum dictum olim fuisse *Axezon*, quod commerciis prorsus vacaret; Successu vero temporis rebus immutatis, negotioso mari inditum nomen *Euxenos*. Nolim ego de veritate hujus etymologiæ contentiosum funem trahere; sed nobis demonstrasse ex ea sufficiet, fretum istud obscurum diu atque infrequens mansisse. A Mithridate Eupatore, ejusque Ducibus A) primum illius tractus usque ad paludem Mæotidem cognitio cœpit. Alexandri Magni ætate adhuc in obscuro manebat regio; isque primus gentes ad Septentrionem Græciæ usque ad Danubium exploravit. B) Sub Trajano, an Palus Mæotis Oceano juncta esset, in ambiguo adhuc res erat, quantum ex Plinio l. 7. c. 62. intelligimus. Colchis, C) & mons Caucasus in finibus mundi constituti crede-

A) Strabo l. 1. pag. 11. B) Id. l. 7. pag. 208. C) Apollon. apud Casaub. in Theocr. Idyl. c. 9.

credebantur; atque ad Phasidem maritimi itineris navigatio summum habita est. Ciceronis ætate ostia Ponti Euxini vidisse Romanum, pro maximo habebatur. Non est igitur, cur admirerur, si Salomonis, & Hiramī classes, relicto expeditiori per Pontum, per fretum ignotum, itinere longiore Ophir adnavigarent. Exploremus modo, quam potissimum viam classis tenuerit, quove in loco comparandis mercibus constiterit.

Classis igitur in portu Asiongaber in mari Rubro instructa, solvens inde, Arabiæ latera usque ad Mechæ, sive Babelmandel facile abrafit; inde secundum latera meridionalia ejusdem regionis in sinum Persicum succedens, per Euphratem vel Tigrim adverso anne deferebatur. Urbs est ad Tigrim nomine Opis, emporio celebris, quam e sinu Persico navigia, adverso anne per Tigrim delata, tenebant. A) Huic navigationi impediendæ, aggeribus in anne excitatis, Persæ nullum non moverunt lapidem; sed Alexander Magnus, his omnibus amotis, annum liberavit. Commoda inde commercia cum omnibus Assyriæ, Mesopotamiæ, Armeniæ, ac finitimarum regionum populis præstabantur; singuli enim per Euphratem & Tigrim merces ad Emporium transvehebant. Poterat etiam classis ultra, quam nostra ætate liceat, ad Euphratis fontes propius accedere;

L 4

neque

A) Strabo l. 17. vide Herodot. l. 1. c. 139.

neque enim tunc tot ex eo rivi deducebantur, a) quot fluvii illius gloriam ætate nostra minuunt. Populi ad fontes Tigris fluviali itinere Babylonem usque eo deducebantur, teste Strabone l. 16. nec Herodoto l. 1. c. 139. & Diodoro Siculo l. 17. refragantibus. Sunt quidem, qui rapidiorem esse annem, quam ut navigia patiatur, asseruerint; sed illos autoritate, & experientia sua Petrus Duval refutat, qui & navigationem in eodem anne instituit, & lenioribus, quam Euphratem, aquis Tigrim fluere testatur. B)

Navigia per Euphratem adverso cursu usque ad Urbem Sipharam, sive Tapsacum deferri potuisse, satis convenit inter omnes. Porro Siphara apud Ptolemæum ad annem sita est, nondum aquarum in diversos canales divortio fluentem; est autem metropolis Sippareniorum, de quibus Abidenus apud Eusebium. c) Non deerunt, qui majori, quam nos, confidentia regionem Ophir eo loci constituent, nominis affinitate potissimum persuasi, atque auri, non quidem genuini regionis, sed adventitii e vicinis Provinciis, in quibus abundat, affluentia.

Scitum est apud Aristobulum, a Strabone l. 16. laudatum, Cives Gerræ (Urbs est juxta finum

A) Plin. l. 6. c. 22. B) Apud Cellar. Geograph. Antiq. l. 3. c) Prap. l. 9. c. 41. In eadem regione nota est Urbs Hippurium apud Plin. l. 6. c. 26.

finum Arabicum) merces suas navigio Babylonem usque transvexisse; inde vero per Euphratem Tapsacum usque ascendentes, pedestri itinere opportune in Mesopotamiam, Armeniam, & Assyriam perveniebant.

Potuit igitur classis Salomonis eandem tenens viam Babylonem usque, vel Opim, vel Sipharam, quin & Tapsacum usque adnavigasse, inde advectis ex Judæa mercibus cum auro Ophir commutatis, onere facto rediisse.

Cum in amplissima regione Salomon jus diceret, nulla etiam in toto Orbe regio solertius, quam Judæa colebatur; optimis præterea vinis, electo frumento, atque oleo eximio ferax erat. Quare ex Judæa, & Israël delata ad nundinas Tyrias, frumentum, balsamum, oleum, & resinam, Ezechiel 27. 17. significat. Pannis etiam purpureis Phœnicia celebrabatur; sicut tenuissimis telis Ægyptus, & Judæa; Arabia, Montes Libani, & Galaad aromata sufficiebant. His mercibus onusta classis Salomonis, commercia cum populis Mesopotamiæ, Armeniæ, vel Assyriæ detinebat. Eunti autem in eas regiones, atque redeunti, qui in itinere occurrebant portus, & loca omnia ad utrumque litus sinus Persici, & maris Rubri, pervia fuisse poterant. Æthiopia simiis præ cæteris totius Orbis regionibus frequentatur; quare litora occidentalia maris Rubri classis Salomonis adnavigans, simias comparabat.

Quoad pavones, apud Veteres aves Mediæ appellabantur; quod in ea regione, sicut & in Babylonia, frequentissimi essent. Belle autem id congruit cum nostra hypothese, qui Salomonis classem ad Tapsacum, Opim, & Babylonem deducimus. Neque fusius nobis agendum est de mercibus, ad Afiongaber ab eadem classe relatis, cum satis superque de illis 3. Reg. 10. 22. egerimus. Unum superest, ut Veterum testimonio ostendamus, iter illud, unde classem deduximus, ipsissimum in navigationibus ejusdem & inferioris ætatis per mare Rubrum servatum fuisse.

Quæ de Gerræis supra indicavimus, ex finibus sinus Arabici Tapsacum usque per Euphratem ascendentibus, & merces suas transvehentibus, manifesto satis exemplo indicant, per finem Arabicum navigationem tum temporis institui consuevisse. Quin & eodem itinere ex Ægypto Erythræum, atque Indiæ, ætate Plinii, petebantur; A) per Nilum enim adverso amne delata navigia, Alexandria Juliopolim, seu potius Heliopolim tenebant; inde cursum ad Coptum, celebre Ægyptiorum, & Æthiopum Emporium, dirigebantur. Ibi impositis super camelos mercibus, nocturno itinere, æstuantibus calore diebus, duodecim itineribus Berenicem ad Erythræum perveniebant. Interim opportuno navigationis tempore, ad
me-

A) Plin. 1. 6. c. 23.

mediam nempe ætatem, ante, vel statim post Caniculam, expectato, conscenso navigio 30. navigationis diebus *Ocelim*, vel *Canan*, vel *Nuzam*, portus Arabiae tenebant; sed euntibus ad Indias *Ocelis* portus commodior. Institutus inde ad *Muzirim* cursus, 40. dierum itinere. Locus ille commercio Indiarum primus habebatur. Alii tamen relicto Muziri, *Bacar* alium tutiorem, & commodiorem Indiarum portum, adnavigabant. Solebant autem mercatores ineunte *Tybi*, mense Ægyptiorum Decembri respondente, patriam repetere. Interdum ejusdem anni spatio iter instituebatur simul, & absolvebatur.

Minus sane expeditiorem Salomonis classi cursum fuisse, quam illis, quas Plinius descripsit, facile credimus; tum quod nautæ ea ætate essent imperitiores, cum quod in locis plurimis ad commercii opportunitatem aliquanto fuisset immorandum. Quare tot moris productum iter, non plane citius, quam spatio tantum 26. mensium ad minus confici poterat. Quanquam enim ad Indias usque classis non pertingeret, longissima tamen via Sinum Persicum circumeuntibus, atque non modicum Euphratis atque Tigris tractum dimetientibus decurrenda fuerat; quod sane duplo prolixiorem navigationem reddebat. Hinc factum est, ut iter, quod e Berenice ad Indias unius anni spatio peragebatur, totum triennium, vel 25.

aut

aut 30. menses, usque quo portum, unde solverat, repeteret, Salomonis classem detinerent. Quid? quod hyemale tempus navigationi adversum, otiosum transigendum fuerat; quare ter recurrente hyeme, ac bis æstate, tota expeditio non prius, quam per triennium absolvi potuerat.

At enim disertis in Scriptura verbis Ophireticam regionem petiisse navigia Salomonis exprimuntur? Quæ sane minus cum nostro Systemate quadrant: non enim nisi ad emporium Ophiræorum, atque finitimarum illis gentium (quod Ophir non nisi incongrue appellaretur) classem appulisse autumamus.

Utro quidem fatemur, in ea, qua sumus, sententia Salomonis classes ab Ophir procul substitisse; sed Scripturæ verba in sensu vulgari & communi intellexisse satis superque habendum est. Quare, sicut Hollandiam petiisse ille rectissime dicitur, qui ad ejus regionis extremas oras appellens, ab Hollandis negotiatoribus, illic versantibus, merces Hollandicas comparat; ita navigia Salomonis, Ophiræorum emporium tenentia, in Ophir ventitasse censebantur. Nonne plane onerarias naves Alepum negotiationis causa transmitti, quotidiano sermone dicimus, quæ tamen in portu ejusdem Urbis, trium dierum itinere distant, subsistunt? Vide Gabrielis Sionitæ Arabiam cap. 5. Classem in Æthiopiam duxisse Menelaum
Home-

Homerus Odyss. l. 4. tradit; quem locum in examen revocans Strabo l. 1. narrat, pluribus quidem iter illud impossibile visum fuisse; alios prolixas adeo classi vias designasse, ut fabellas somniasse crederentur; se vero difficultatem expeditius enodaturum, si classem illam adverso per Nilum cursu, usque ad extremas Æthiopiæ oras, & ad proximam usque Thebarum Urbem deducat. Ita plane Ulysses in regionem Cyclopum venisse narratur, qui tamen in antro ad ultimas oras illius regionis substitit. Quid? Addit Strabo, nonne Troglodytæ etiam Æthiopes censentur? quos adivisse Menelaus censebatur, si Nilum eo usque, dum populos illos e regione spectaret, ascendisset.

Hæc plane omnia etiam de expeditione Ophiretica usurpari rectissime possunt. Euphrates & Tigris, flumina in viciniis illius regionis nata, vehendis Assyriæ, Mesopotamiæ, Armeniæ, & Colchidis mercibus, famulis aquis serviebant. Inter eos negotiatores, Ophiretici, quod pretiosissimas auri & argenti merces adveherent, cæteris præstabant. Quidni igitur in Ophir tetendisse classis diceretur, cum Opim, Tapfacum, Babylonem, Urbes Ophireticæ finitimas, onerandis Ophireticis mercibus, atque commerciis cum Ophireticis negotiatoribus agendis veniret? Josephus venditus in Ægypto dicitur Gen. 45. 4. quod a mercatoribus ejusdem regionis, in Ægypto iterum vendendus, emptus esset. Sed

Sed cui bono maritimum in Armeniam & Mesopotamiam iter institutum est, solidi triennii spatio absolvendum; cum brevioris temporis & impensæ terrestris iter per camelos, ad eum usum aptissimos, suppeteret? Hæc sane in speciem aptissime observantur; sed animadvertitione dignum est, iter illud non referendo tantummodo auro Ophir fuisse institutum, quin & lignis pretiosis, sumis, aliisque Arabiæ felicis, & Æthiopiæ mercibus comparandis. Ea insuper itineris ratio tunc temporis tutissima, & commodissima habebatur; quippe quæ cæteris etiam populis probaretur, uti a Gerræis, quibus alioquin, non secus ac Judæis, ad Euphratem terrestris iter per camelos expeditius fuisset.

DISSERTATIO

De origine, & antiquitate Circumcisionis.

Circumcisionem avitum esse ritum, in suo solo natum, Ægyptii olim jactitarunt. Herodotus, a sacerdotibus ejusdem gentis instructus, idem Græcis persuaserat: & Religionis Christianæ osiores, de opprobrio Judæorum invidiam in illam creare conati, hanc instaurarunt objectionem; Circum-

cumcisionem nempe non ita peculiarem Judæorum fuisse ritum, quin & apud Ægyptios prius obtineret; cessarent proinde prærogativam illam, tanquam selecti a Deo populi, divinitus sibi datam jactitare. Hæc Celsus in Christianos ingerebat; A) cui Origenes respondet, Judæis pariter, primos se Circumcisionis Authores asserentibus, saltem æquum esse cum Ægyptiis jus, ut affirmantibus crederetur: Judæorum circumcisionem aliam plane esse ab Ægyptiorum, & Ismaëliitarum, tum illius instituendæ sine, tum lege instituente, tum etiam initiandorum eo ritu mente spectata. Judæi enim unam tantum Circumcisionem octava die probant; cæteras tanquam vanas & superfluas abjiciunt. Præpostere igitur Celsus, ait, varias hæc cæremonias, & ritus confundit. Demonstrat tandem iniquum esse, relevatos per JESUM CHRISTUM, & Apostolos a jugo Legis Fideles invidia Legis Judaicæ onerare. Julianus Imperator tradit Abrahamum, cum e Chaldæa in Ægyptum venisset, Circumcisionis ritum ibidem didicisse, quem sane Christiani, filios se genuinos Abrahami jactitantes, recipere tenerentur; cui S. Cyrillus iis, quæ de Abrahamo ab Apostata dicebantur, ne refutatis quidem, respondet, cordis & Spiritus Circumcisionem unicam esse, quam JESUS CHRISTUS a Fidelibus exigit;

A) Apud Origen. l. 1, & 5, contra Celsum.

exigit; carnalem vero ad salutem supervacaneam profus esse & inutilem. A) Cum ad hoc usque temporis eruditi quidam non desint, B) qui Circumcisionis primum invectæ decus Abrahamo abjudicantes, ab Ægyptiis, si non omnibus, saltem Sacerdotibus primitus usurpatum credant; ideo laborandum nobis est, ut in omnes illos populos ex Judæis derivatam Circumcisionem ostendamus; ea omnia, quæ de vetustate hujus ritus apud Ægyptios, Æthiopes, & Colchos ab Herodoto, aliisque Authoribus feruntur, vana esse & inania demonstrantes.

Ægyptios antiquitatem suam atque rerum inventionem jactitasse, tam certum est, quam quid aliud. Hujus gloriæ adeo illos studiosos fuisse constat, ut cæteros populos prærogativis quibusdam, maxime in rebus Religionis, supra se efferri nulla ratione paterentur. Cum autem persuasum sibi haberent Deorum cultum, & Religionem ex Ægypto cœpisse, omnium se cæremoniarum & rituum Authores haberi volebant. Hinc nata cum Judæis vetus, & perpetua similtas; quam enim Judæi veram asseruntque præferrebant antiquitatem, quemadmodum & solidam in cæremoniis majestatem, puritatem Religionis, & morum, legumque inter utrasque gentes discrepantiam, in
odii

A) Cyril. l. 10. contra Jul. B) Marsh. Can. Ægypt. sac. 5. Joan. Cleric. in Gen.

odii atque invidiæ fomitem Ægyptii convertebant.

Græcorum Historici de vetustate populorum atque origine rituum acturi, frustra se alibi, quam in Ægypto vera scrutaturos reputarunt. Doctissimi enim in toto Orbe Ægyptii habebantur adeo, ut eorum virtutis fama omnes ferme veteres Scriptores e Græcia ad se acciverit; unde pariter Græci eas, quas in scriptis suis inseruerunt fabellas, una cum pluribus admixtis veritatibus hauserunt.

Herodoti, si cujus unquam inter Historicos, fides in suspensionem revocatur. Manetho, Scriptor Ægyptius, tanquam fabulosum authorem, atque antiquitatis Ægyptiacæ imperitum illum accusat. Diodorus Siculus, Græcus alioqui Scriptor, paria in viro reprehendit l. i. neque nos illum absolvere possumus, vetustatem Circumcisionis Ægyptiis, Æthiopiæ, Colchidis, & Phœnicis populis tribuentem; eo maxime, quod illius autoritate cæteris deinde Historicis impositum sit.

Ægyptii, ait idem Author l. i. c. 35. 36. oppositos plane cæteris fere omnibus mores habent; Circumcisionem admittunt, ritum omnibus ignotum, præterquam iis, ad quos supersticio ex Ægypto descendit. Et cap. 104. primos, apud quos Circumciso obtineret, indicat Colchos, Ægyptios, & Æthiopes; namque, ait, quoad Phœnices, & Syros Palæstinam in-

colentes, ex Ægypto in ipsos derivatum morem, ipsorum consensu intelligimus; in cæteros vero Syros ad Thermodoontem, & Parthenium ipsis fatentibus ex Colchide superstitione propagata est. Verum quod ad Ægyptios, & Æthiopes spectat, utri eorum Circumcisionis prius obtinentis palma deferenda sit, in medio relinquo; quanquam ex commercio Ægyptiorum, & Æthiopum, ab Ægyptiis in illos devenisse ritus facile videtur. Hactenus Herodotus, cujus testimonium modo in examen revocandum est.

Sibi plane non cohæret Herodotus, dum asserit Ægyptios a cæteris populis Circumcisione discerni, ritu plane cæteris omnibus incognito, præterquam iis, in quos ex Ægypto devenit; cum tamen alibi prius illius admiffæ honorem Colchis, Ægyptiis, & Æthiopibus tribuat. Sibi etiam repugnat, cum ambigere se profitetur, utris potius, Ægyptiis ne, an Æthiopibus Circumcisionis inventio deputanda sit. Cum enim optime Æthiopes Asiaticos ab Africanis distinguat, ignorare profecto non potuit, Æthiopes Africanos ex India in Ægyptum venisse; qui proinde, utpote ex Æthiopibus Asiaticis (apud quos ignota Circumcisio) derivati, nunquam fieri potuisset, ut Circumcisionem tanquam avitam cæremoniam haberent. Quare nullus ambigendi locus erat, an ex Ægyptiis in Æthiopes Circumcisio irrepsit.

Falsus est enim Herodotus, dum narrat Phœnices, & Syros, Palæstinæ incolas, suam confessione, ex Ægyptiis recepisse Circumcisionem, professos fuisse; nullam enim gentem in Syria Circumcisione obsignatam præter Phœnices, & Judæos novimus; neutra vero recepisse se Circumcisionem ex Ægypto fatetur. Judæi ex Abrahamo, quin potius ex ipsomet Deo; Phœnices ex prisco gentis Rege Ilo, ut infra dicemus, repetunt. S. Barnabas in Epistola Syros omnes, Arabes, & Sacerdotes Ægyptios Circumcisione initiari consuevisse perhibet. S. Epiphanius hæres. 30. idem asserit de Ismaëlitis, alio nomine Saracenis, Samaritanis, Idumæis, Homeritis; addit & Moabitas, atque Ammonitas S. Hieronymus in Jerem. 9. Tuetur S. Ambrosius annot. in Levit. ad Constantin. seu Epist. 72. num. 6. Nov. edit. eo stigmate inultos fuisse non Ægyptios Sacerdotes tantum, sed & apud Æthiopes, Arabes, & Phœnices, nonnullos. Gemina legas in Libro de Circumcisione inter Opera S. Cypriani.

Illud ergo ex mente horum Authorum exploratæ antiquitatis & authoritatis consequitur, morem illum per universum late Orientem pervagatum fuisse. Nihil modo in Ismaëlitis, Idumæis, Arabibus, Ammonitis, & Moabitis immorandum; potuerunt enim omnes ex Abrahamo Circumcisionem recepisse. Idumæos

Circumcisionis ritum a Joanne Hircano Victore recepisse prodit Josephus Antiq. l. 13. c. 17. Eadem facile Ammonitis & Moabitis accidisse potuerunt; nec invitus suspicor Phœnicum nomine Samaritanos a Scriptoribus illis designari, cum S. Epiphanius Samaritanos recensens de Phœnicibus fileat. Nullo autem negotio originem Circumcisionis apud Samaritanos deprehendimus, cum illi Mosaicæ Legis cæremonias admitterent. Soli ergo manent Ægyptii atque Æthiopes; sed dum & posteriores isti suamet confessione decus inventæ Circumcisionis a se abjudicantes, tenuisse illam ex Ægyptiis, Hebræisve ultro profiteantur, ad unos Ægyptios controversia cogitur.

Igitur plurium Scriptorum testimonio colligitur, nulla apud Ægyptios lege præceptam esse Circumcisionem, ejusque morem in universa gente non obtinuisse. Causas, quare Circumcisionem admitterent populi, plures enumerat Philo de Circumcisione pag. 810. Prima, ut eo remedio peculiare morbi genus (carbunculum dicunt) quod Circumcisione evitatur, præcaverent. Secunda, quo, fordis causa sublata, corpus elutum purumque servetur; cujus rei gratia pilos omnes corporis, metu, ne quid impurum detineant, eradunt. Tertia, quæ symbolica est, a nostro argumento aliena, ultro omittitur. Quarta tandem, ut foecunditas, multum enim Circumcisionem

ad

ad eam rem conducere arbitrantur, promoveatur.

S. Ambrosius epistola 72. ad Constant. n. 5. in ea esse sententia videtur, Ægyptios persuasum habere, sordis nescio quid Sacerdotibus illis inesse, qui Circumcisione non eluerunt. Addit insuper: *Neque magici carminis sapientiam, nec Geometriam, nec Astronomiam iudicant vim suam obtinere, sine Circumcisionis signaculo.* Veslingius Syntag. anatomic. 6. Medicus celeberrimus, causa quadam naturali Arabes, & Ægyptios, qua mares, qua fœminas ad Circumcisionem propelli arbitratur; mares enim, ait, præputium plus nimio excrecens necessitate magis, quam Religione, quamvis & Religione etiam aliqua, vel potius superstitione inducti, amputant. Fœminæ vero quid causæ habuerint, cur ad Circumcisionem adigerentur, vide notam infra pag. 188. & 189. Certum est autem Circumcisionis hujus admittendæ nullam fuisse apud populos eos legem, neque morem illum per totam provinciam obtinuisse. Ad arbitrium probabant, rejiciebantque omnes, si unos excipias mares Mahometicæ Legis sectatores, quos Legis ejusdem præscriptum duræ illi necessitati subdebat.

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. refert, Pythagoram, cum in Ægyptum auscultandis Gentis illius Prophetis venisset, Circumcisioni se subjecisse, quo & eorum mysteriis

initiari, & ad intima Philosophiæ adyta admitti permitteretur. Origenes in Epist. ad Rom. 1. 2. & in Jerem. hom. 5. exactum ducens catalogum eorum, qui Circumcisione in Ægypto initiabantur, recenset Geometras, Astronomos, Astrologos judicarios, Genethliacos, Sacrificulos, extorum Inspectores, Prophetas quos vocant, Hieroglyphicis studentes, Divinos, Mysteria revellantes, & qui mysteriis initiari volunt. Observat Josephus Cont. Ap. pion l. 2. Sacerdotes Ægyptios omnes Circumcisionem admittere, atque a suilla abstinere: Paria de Circumcisione Sacerdotum apud S. Epiphanium hæc. 30. legas. Quæ omnia aperte demonstrant Circumcisionem ritum fuisse solis sacerdotibus peculiarem.

Eja vero, quo potissimum tempore mos ille ad Ægyptios translatus sit, inquiremus. Moyse authore cæremoniam habuisse Ægyptios, & Æthiopes Sacerdotes, Artapanus apud Eusebium Præp. l. 9. c. 28. testatur. In eandem sententiam descendisse Origenes visus est cont. Cels. l. 5. pag. 163. edit. Cantabrig. tradens cogendarum ad Circumcisionem Gentium in causa fuisse gliscentem apud illas metum de Angelo quodam Judæorum adversario, qui parere Circumcisione signatis coactus, incircumcisos diræ animadversioni subicere ferebatur. Quæ in illos persuasio utique ex historia, in Exodo relata, de Angelo, Moyfi in Ægyptum

prum reduci obviam facto, atque in necem Eliezer filii ipsius irruente, derivata est. Tunc enim Sephora, pueri mater, filio statim Circumcisione initiato, imminens periculum a capite illius avertit. Malunt alii Ægyptiorum Circumcisionem ex Israëlitis in Ægyptum cum Jacob descendantibus repetere. Quamquam enim ambo illi populi Ægyptii, & Judæi, primo se alter ab altero observassent, ne cibos quidem simul capere, neque ambulare simul, sedesque communes habere, sustinentes; successu tamen temporis de veteri utrimque jure recessum est, ut, cum ex Ægypto Israëlitis remeandum fuit, non deessent ex populo, qui connubia cum Ægyptiis puellis inivisse deprehenderentur; ne quid dicam de translatis Hebræorum in Ægyptiorum Urbes sedibus, eorumque moribus adoptatis. Quid? quod avita religione deserta, atque pastoritia professione abdicata, plures ex Hebræis ad Ægyptiorum sacra, atque consuetudinem transferunt. Inter hæc tamen, ut avitam peculiaremque Circumcisionis religionem abjicerent Judæi, nunquam commissum est. Hujus ergo ritus adeo fuisse tenaces videntur, ut ne jungi quidem cum Ægyptiis facile se sustinuerint, nisi ea tantum conditione, ut unicam hanc cæremoniam, quam Hebræi usque adeo observaverant, probarent, atque reciperent.

Quanquam hæc plausibilia videantur, non minus tamen aliis plausibilibus conjecturis oppugnari possunt. Si Ægyptii Circumcisionem admiserant, ut ea conditione Israëlitas in suas Urbes atque societatem adducerent; & Israëlita vicissim & avitum solum, & professionem simul cum Religione abjecerant; quid tandem prohibuit, ne spatio 205. annorum, quo simul cohabitarunt, in unam eandemque gentem coalescerent? Aliter tamen res habuit sese; pauci ex Israëlitis cum Ægyptiis connubia miscuerunt, atque duæ illæ gentes suo singulæ jure censebantur; quin & pro veteri inter ipsas simultate factum credimus, ut Rex Ægypti de Israëlitis exterminandis cogitaret. Circumcisionis indicio agnitus a filia Regis Ægypti Moyses creditur; Visum enim in ripa Nili filium, eo signo initiatum, statim non Ægyptium, sed ex Hebræis genus referre judicavit.

Cum Moyses leges præscribit, quibus jus Civitatis, & Gentis Judaicæ exteris gentibus permitti poterat, Circumcisio primo loco recensetur; quæ generalis pro omnibus gentibus lex ne Ægyptios quidem excipiebat; ut liquido intelligamus Circumcisionis cæremoniam nondum apud illos obtinuisse. Singulare tantum populis illis concessum est privilegium, in gratiam concessæ olim Israëlitis in sua regione sedis, ut in tertia demum generatione eorum filii in cœtus Domini introducerentur Dent.

23. 7. utique tamen admiffa prius ab illis Circumcifione, cæterarumque legum observantia, uti Commentatores observant.

Egressi ex Ægypto Israëlitaë, atque per deserta Arabiaë iter facientes, ab omni exter-
narum gentium consortio segregati, A) cum in unam veluti civitatem coaluissent, Circumcifionis cæremoniam intermiserunt; cum enim eo signo seligere sibi populum suum a cæteris voluisset Deus, non erat utique, cur a cæteris segregati in deserto obfignarentur. Vix tamen in Chanaanitidem, atque inter medios Chananæos ventum est, iterum Divino præcepto pueri, in deserto nati, Circumcifioni subjiciuntur. Divinis hisce jussionibus a Josue executioni mandatis, Deus statim ad illum, *Hodie*, ait Josue 5. 9. *abstuli opprobrium Ægypti a vobis*; ac si diceret: quidquid vobis erat cum Ægyptiis commune, probrosum plane, & detestabile, id modo penitus abstuli. Filii Jacob detineri se, ne cum Sichimitis connubia jungerent, significarunt, illud obtendentes: *Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos*. Gen. 33. 14. id est, hominem incircumcisum nos probro ducimus, & horrore. B) Chananæus igitur, & Ægyptius æque opprobrio erant Hebræis; quippe qui neutri Circumcifionem recepissent.

M 5

Lau-

A) Theodoret. q. 3. in JESU NAVE. B) ורבה לנו

Laudatum e Josue testimonium Marshamus in suæ sententiæ patrociniū convertens, ex eo probare conatur, Moyſis ætate Circumcisionem apud Ægyptios obtinuisse; quare Deus illud usurpans: *Abstuli opprobrium Ægypti a vobis*; tantūdem effatus est (ait idem Scriptor Canon. Ægypt. Seculi 5.) acſi dixisset: Abstuli, quod vobis æque ac Ægyptiis horrore est, & opprobrio; quasi scilicet apud Ægyptios lex illa late & indiscriminatim obtineret adeo, ut incircumcisum hominem horrore ducerent, atque ad eam cæremoniam admittendam latis legibus cogentur. Opprobrium igitur Ægypti non est, cur de insito in ea gente horrore erga homines incircumcisos, quemadmodum Israëlitis insitum est, interpretemur. Post hæc omnia, Moyſis, & Josue ætate incircumcisos mansisse Ægyptios, jure a nobis asserendum arbitramur. Modo succedentia illis tempora examinemus.

Opinio est apud Eruditos receptissima, sub Salomone primum Ægyptios, & Æthiopes Circumcisionis ritum admisisse. Ejus rei conjecturas ex commercio, atque arciſſima consuetudine utriusque gentis per ea tempora cum Hebræis ducunt; verum, si Hebræis in Ægypto commorantibus, adhuc tamen nulla facta est utriusque gentis in Circumcisione communio; quinam fieri poterat, ut merum inter utramque gentem commercium sub Salomone eam haberet vim, quam

quam contubernio, tot annorum spatio continuato, denegamus? Quoad Æthiopes, in quos devenisse autumant Circumcisionem, Regina eorum, quæ Salomonem Jerosolymam convenerat, ministerio, operæ pretium est animadvertamus, eam fœminam non in Æthiopia, de qua loquimur, regnasse, sed in Saba Arabia regione; quare iter illius ad Salomonem, atque ea, quam de Rege conceperat, opinio, conciliandæ apud Æthiopes Circumcisioni nihil conferre potuerat.

Bochartus, & Eruditorum nonnulli non ex Judæis invecam in Ægyptios Circumcisionem, sed ex vicina Arabia derivatam maluerunt. Immanis est quidem inter Ægyptiorum & Judæorum Circumcisionem discrepantia; ac vicissim inter Ægyptiorum & Arabum plurima consonant. 1. Admittendæ Circumcisionis Judæi arctissimo adiguntur præcepto, eamque veluti peculiare signum, & characterem populi Dei, cujus conditione Divina in se promissa implerentur, respiciunt: Ægyptii vero ultronea in illam religione ita feruntur, ut non a populo universo, sed a certis tantum Sacerdotibus illam exegerint. 2. Apud Judæos solos mares circumcisione, octava semper a nativitate die, initiare mos est; apud Ægyptios Viri æque ac fœminæ abscinduntur; a) idque tantum ineunte

te

a) Strabo l. 17.

te 14. ætatis anno, juxta S. Ambrosium. A) Neque omnes Ægypti fœminas indiscriminatim Circumcisionis genus hoc admisisse satis apud itinerantes convenit. In nonnullis tantum Arabiæ & Persidis regionibus veluti ad Sinum Persicum, & Mare Rubrum ea lex obtinet; ubique enim per eas Provincias mos æque pro maribus, & fœminis servatur, eo tamen discrimine, quod abscindendis maribus, quintus, sextus, vel nonus, vel tertius decimus ætatis annus præscriptus sit; cum interim fœminæ non, nisi post exactam juventutem, circumcidantur; nequaquam enim antea caro circumcissione abscindenda in fœminis excrescit. Vide *Chardin Iter Persic.* tom. 2. pag. 207.

3. Judæi in partem initi cum Abrahamo fœderis per Circumcisionem recipiuntur, cum Ægyptii nihilo, quam honestate, & forte peculiari regionis suæ incommodo corporis evitando, maxime in fœminis, B) ad eam rem

im-

A) De Abraham. l. 2. c. 11. Ægyptii quartodecimo aetatis anno circumcidunt mares, & fœminas eodem anno circumcidunt ferunt, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua sumas initia.

B) Huet. Not. ad Orig. par. 5. Circumcisio fœminarum fit refectione, τῆς ἰμφοῦς, quæ pars in Australiæ præsertim mulieribus ita excrescit, ut ferro coercenda sit. Ita tradunt Medici insignes Paulus Ægineta l. 6. c. 70. Aëtius Terrab. 4. ser. 4. c. 101. quorum hic ita pergit: Quapropter Ægyptiis visum est, ut antequam exuberet (pars illa corporis) amputetur, præcipue cum Virgines nubiles sunt elocandæ. . . . Quod igitur necessitate primum inventum est, Religioni postmodum usurpatum

impellantur. Jure proinde meritoque Origenes, nihil esse inter Ægyptiorum & Hebræorum Circumcisionem commune, sustinuit. Quamquam, ut vera fatear, tanta ista non sunt, ut ex uno eodemque fonte utrumque morem profluxisse negemus. Esto enim ex Arabia in Ægyptum derivata sit, semper tamen ad Abrahamum patrem Isaac & Ismaëlis referentur, idemque semper ineluctabile contra vetustatem Circumcisionis apud Ægyptios argumentum obtinebit.

Ætate Prophetarum Ezechielis & Jeremiæ, Ægyptii, non secus ac Babylonii, & Tyrii, inter gentes incircumcisas recensentur. Hinc Ezechiel Dei nomine ita Assyriorum Regem affatur c. 30. *Ecce deductus es ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio; ipse est Pharaos, & omnis multitudo ejus.* Idem Propheta 31. 19. 21. 22. & seq. Pharaonem ipsum allocutus, & populum illius, minitatur, se illos in infernum dejecturum cum aliis populis incircumcisis, velut Assur, Elam, Mosoch, & Tubal. Jeremias deni-

patum fuit; quod & aliqui de virili circumcissione opinati sunt. Porro hanc consuetudinem circumcidendarum mulierum bodieque retinere Ægyptios, ferunt ii, qui regiones illas lustraverunt, ignemque ad compefcendam partem hujus luxuriam adhiberi scribit Bellon. l. 3. Observ. c. 28. Morem hunc servare feminas in Persia, & Coptas etiam in Æthiopia, Christi licet nomen professas; Leo Africanus l. 8. narrat Mahammadi lege id præscribi, quamvis in Ægypto tantum & Syria obtineat, munusque id obire vetulas quasdam, per vicus Cairi ministerium suum venditantur,

denique cap. 9. 25. palam Ægyptios a Judæis propter Circumcisionem distinguit, quam hi quidem recipiebant, illi vero non ita. Ecce hujus Prophetæ verba, juxta literam Hebraicam: *Visitabo super omnem incircumcisum cum præputio: super Ægyptum & super Juda. Quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.* Negare tamen non ausim, receptam tunc temporis apud Ægyptios quosdam Circumcisionem; cum mos Sacerdotes eo ritu initiandi vetustissimus apud illos habeatur; quanquam illud non minus constat, Ægyptias gentes inter incircumcisas censi tunc consuevisse.

Ut sententiæ de invec̄ta primum ab Ægyptiis Circumcisione nervos prorsus omnes succidamus, ad hæc animum advertisse oportet. I. Populum universum nulla inductum ratione sponte se duræ Circumcisionis legi subjecisse, vix possumus persuaderi. Illiberalem cæremoniã, nihil habentem prærogativæ singularis, nisi durum corporis cruciatum, simulque novam, vix ex gente tota unus in animum induxisset; quid gens universa? Facile quidem nobis persuademus, primum, qui Circumcisionem invexit, validioribus adductum rationibus eam tandem admisisse; validioribus, inquam, quam de Ægyptiis excogitaverint contrariæ sententiæ patroni; nempe affectata quadam honestate, vel ineptiori aliqua superstitione,

ne, Cynocephalum nempe imitandi, divinum animal, quod, inquit, circumcisum ex utero matris prodit. Deliramenta quidem hæc sunt vana cogitantium, ne refutanda quidem. Nec meliora tamen afferunt Ægyptii, quibus inductos se ad Circumcisionem persuadeant; quare primam illis hujus ritus inventionem abjudicandam arbitramur.

2. Observare oportet, ritum illum, si per universam late Nationem semper obtinisset, ejusque maxima habita fuisset ratio, tanquam peculiaris ejus Gentis, atque Religionis cæremoniæ, apud omnes etiam Gentes ex Ægypto deductas, atque Ægyptiacis sacris initiatas, deprehendendum fuisse. Cur igitur apud Chananæos, Phœnices, Philistæos, variasque Africanas gentes, genus ex Ægypto referentes, non obtinet? Obtinet quidem apud Phœnices; sed a Saturno recepta, ut infra dicemus. Prætereo Ægyptiacas superstitiones per Syriam, Africam, Cyprum, & Græciam late evulgatas; quanquam nihil simile de Circumcisione fertur. Quæ ad Colchos spectant, eandem, uti ferunt, gentem ac *Cassium*, posteros Mizraim sive Ægyptiorum, infra examinabimus.

Est igitur cur asseramus, Circumcisionis ritum ab Ægyptiis Authoribus non cœpisse; seriusque apud illos obtinuisse, quam ut Abraham ab illa gente cæremoniam addiscere posset.

Re-

Restat, ut Phœnicum conjecturas in medium afferamus, quibus inventæ Circumcisionis sibi honorem adsciscunt.

Sanchoniato apud Eusebium in Præp. l. 1. tradit, Saturno, quem Phœnices Israëllem nominant, unicum tantum ex Anobret Nympha filium Jeud fuisse, quo in victimam Cœlo Patri suo oblato, ipsum se Circumcisione initialse, suumque exemplum milites sequi voluisse. Mos inde apud Phœnices inolevit, in difficillimis Regni eventibus Regionum filiorum victimas immolare; quemadmodum & Circumcisionis ritus per totam late nationem inde facile obtinuit. Cum tamen inter sublestæ fidei Authores Sanchoniato potissimum sibi vendicet locum, ejusdem authoritati refutandæ operam non perdimus.

Mos igitur receptæ apud Phœnices Circumcisionis, Abrahamo, atque Israëlitis Authoribus deputandus est; quanquam non eum fuisse ritum credo, ut late apud omnes illos populos obtineret. Neque enim sive Lege ad eum cogi se Phœnices credebant, neque Josue, quin neque Regum Juda & Israëlitis ætate (quantum conjicio) adhuc jugum illud subierant. Regi Tyri minitatus Ezechiel 28. 10. ait: *Morte incircumcisorum morietis*; similiter nempe cum cæteris incircumcisis morte, quibus spes omnis melioris post obitum vitæ præmissa est. Vide Ezech. 32. 19. 21. 22. &c. Ab

ea tandem cæremonia defueviffe Phœnices ex instituta cum Græcis consuetudine, Herodotus 1. 2. observat; quam proinde, neque in deductis ab ea gente coloniis ad Mediterranei litora nusquam receptam videmus. Josephus etiam luculenter asserit, ætate sua Judæos, unicos ex universa Syria populos, Circumcisionem servasse; ex quibus intelligimus, adscititium externumque morem in Phœnicum solo, tanquam alieno, citius exaruisse.

De Colchorum origine fufius Gen. 10. 14. differentes, ea, quæ apud Herodotum de Ægyptia ejus gentis origine asseruntur, dubiæ esse fidei ostendimus; neque firmiora sunt, quæ Scriptor de Circumcisione apud illos recepta narrat; sive enim genuinum avitumque esse gentis morem, sive ex Ægypto receptum contendit, æque semper suspectus est. Quare alium quærere fontem tum Colchorum, tum Syrorum, superiora Thermodoontis, & Parthenii incolentium, Circumcisionis oportet. Qua in re, obscura quidem & implexa, si conjecturas proposuisse permittimur, suspicari possumus, ex Israëlitis in eas regiones exulantibus, morem increbuisse. Nisi malueris ipsos, qui Circumcisionem admittebant, Israëlitas per Salmanassarem, sive Teglatphalassarem in eas regiones fuisse translatos. Cum autem Israëlita illi veterem Circumcisionis morem retinissent, atque a viciniis Ægypti descendissent,

fuscum colorem, crispantem comam, exterram a Colchidis linguam, & cultum bovis aurei, Ægyptiacæ Apidis religioni simillimum, referrent, facile e media Ægypto venisse crediti sunt. Is error Græcis Authoribus sæpius irrepsit, ut Hebræos, ex diuturna cum Ægyptiis mora, ab Ægypto originem retulisse crederent.

His de vetustate Circumcisionis apud veteres Paganas gentes deductis, modo aliqua supersunt de Circumcisione Hebræorum, ex Scriptura decerpenda. De origine, usu, & praxi hujus ritus explorata omnia; ejus enim inventæ historia diserte apud Moysen legitur, cujus posteritas constanti semper usque hodie successione Circumcisionem servavit. Postquam Deus, ait Moyses Gen. 17. 10. 11. de fide, atque obsequio Abrahami non semel periculum fecisset, fœdus tandem cum illo, ejusque posteritate se initurum significavit, innovatisque promissionibus, atque benedictionibus suis, ita illum affatus est: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te; circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut (Circumcisio) sit in signum fœderis inter me, & vos.* Patrum, Interpretum, quin & ipsius Scripturæ consensu illud potissimum consilium instituendæ Circumcisionis Deum habuisse constat, ut eo veluti signo Abrahami posterius a cæteris gentibus discernere-
rentur.

rentur. Quod autem in eam rem incertum, commune nempe vicinis gentibus, quibuscum Hebræi diutius egerant, signum elegisse Deum, vix est quod credamus. Nonne enim eo accepto signo, populus electus, atque prophæus, genus Abrahami cum gente Pharaonis confunderentur, miscerenturque? Nonne contrariam plane scopo viam inivisset Deus? Fateamur igitur oportet, in ea, quam Moyſes de investâ Circumcisione retexit, historia, liquido sane indicasse novum esse ritum, & ad id usque cæteris incognitum. Hinc recte Origenes A) Abrahamum primum esse mortalium, qui Circumcisionem admitteret, tanquam ex Moyſe relatum, asserit; nec sane pronior est alius Mosaicæ relationis sensus.

Post hæc omnia, primo investæ Circumcisionis gloriam Abrahamo adhuc invidebimus? Abrahamo, inquam, cui omnium vetustissimus, atque certissimus Liber Moyſis suffragatur? Abrahamo, qui id sibi decus tranquilla 3600. annorum possessione præscripsit?

Juris ejusdem viri certa sunt argumenta, sive Deum Circumcisionem præcipientem, sive Abrahamum divinis jussionibus obsequentem spectemus. Ejusdem moris apud Hebræos Origgo, & successio æque exploratæ sunt. Ni-

N 2

hil

A) Contra Cels. l. 1. . . . Malens Ægyptiis, quam Moyſi credere, qui refert, primum mortalium circumcisum Abrahamum.

hil est, quo persuaderi Abrahamo potuerit, ut in ea re Ægyptios & Phœnices, si forte apud illos ritus obtinuisset, imitaretur; semper enim ab eorum ritu, & cultu abhorruit; fœdus cum illis nunquam, nisi necessitate cogente, inivit. Ut quid igitur Circumcisionem illorum admiffisset; præsertim neque apud illos indispensabili lege, nec nisi pudoris cujusdam gratia, obtinentem?

DISQUISITIONES

De Vetustate Monetæ Signatæ.

Ad Gen. 20. 16.



Etustissima commerciorum ratio rerum permutatione fuisse creditur; olim enim in commerciis ea tradebat emptor, quæ sibi inutilia erant & superflua, ut a venditore vicissim commoda sibi, vel necessaria reciperet. Cum vero accidisset non semel, ut ea, quæ sibi deerant, alteri pariter deessent; sive non deessent quidem, sed alter alteri rerum permutatione tradere recusaret, factum inde, ut pretiosum aliquid certi, & explorati valoris designaretur, cujus pretium emendarum mercium valorem determinaret, atque omnibus in rerum permutatione incommodis mederetur. Succurrit deinde, ut pretiosum illud publi-

publico aliquo sigillo obsignatum esset, quo certus rei valor, pondus, & usus in commerciis maneret. Porro ejus sigilli olim nulla alia inerat ratio, quam ut metalli pendendi, atque explorandi incommodo occurreretur. Jus illud monetas obsignandi, certo illis valore, atque usu assignato, Reges atque Reipublicæ Principes sibi reservarunt. Hæc tamen omnia non simul quidem in universo Orbe, sed sensim obtinuisse, vix est quod dubitemus. Hinc cusæ monetæ origo apud varias Gentes variis atque dissitis temporibus legitur, uti apud Persas, Græcos, & Romanos; quin & diu post inventam monetam, veterem retinuisse morem, commercia nempe rerum permutatione instituendi, Gentes aliquas scimus.

Trojani belli ætate nullus apud Græcos monetæ usus obtinebat. Apud Homerum, & Hesiodum, qui post eam ætatem floruerunt, de aurea, atque argentea moneta ne verbum quidem occurrit; sed rerum valorem ita exprimunt, ut tot bobus, vel arietibus res æstimari dicant, locupletis hominis censum gregum numero metiuntur; atque divitem dicunt regionem pascuis, atque metallis copiosam.

De Glaucō scribit Homerus, arma sua aurea pro æneis Diomedis dedisse, quæ scilicet arma centum bobus valebant; cum Diomedis

non nisi novem æstimarentur. A) Idem Poëta commercia in castris præ Trojæ mœnibus describens Iliad. N; alius, ait, pro vinis Lemniis æs, alius ferrum, alius pelles; erant, qui boves, & qui mancipia erogarent.

De primis Græcæ monetæ authoribus inter veteres, recentioresque Scriptores non convenit. Ejus inventæ honorem Ithono Regi Thessaliæ, filio Deucalionis, Lucanus vindicavit Pharf. l. 6.

*Primus Thessaliæ ductor telluris Ithonus,
In formam calidæ percussit pondera massæ.
Fudit & argentum staminis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus ara.*

Alii tamen Erichonium malunt, qui inventæ usum Athenienses, & Lycios docuerit: Erichonium, inquam, filium Vulcani a filiabus Cecropis Regis Atheniensis innutritum; ex quo de ætate ejus viri conjectura capienda est. Aglosthenes apud Pollucem l. 9. c. 6. incolas in ulæ Naxi præfert; sed vulgaris sententia Phidoni Regi Argi, Lycurgo, & Iphito suppari palmam tribuit; a quo, inquiunt, moneta Æginetis tradita est, B) ut eo commercio vitam tolerare, atque Insulæ sterilitatem utcunque reparare possent. Extant nostra ætate quidam hujus

A) Homer. Iliad. Z. Domina Dacia ita reddit Homeri verba, ut Dei inspiratione Glaucus ad imparem hanc armorum permutationem induceretur. Vide ejus notas pag. 502. ubi in sua sententiæ partes Porphyrium vocat. B) Strabo l. 8.

hujus Principis nummi, a) clypeo, qualem Latini *ancile* appellant, in antica exculpi, in postica vero lagena, vel bothrus exprimitur, cum literis ΦΙ ΔΟ. Lycurgus, b) opposito plane ab eo Rege consilio, ut Lacedæmonios a commercio cum exteris averteret, cudi monetam ferream, gravemque jussit, candentem prius in aceto temperatam, ut omnibus exinde usibus inepta penitus redderetur. Quin *emi singula non pecunia*, ait Trogus, *sed compensatione mercium jussit*; c) quare aurum, argentumque omne Lacedæmone exulabant. d) Sub Polydoro Rege, 130. anni post Lycurgum, Viduæ ejusdem Regis, in pretium venditæ Regiæ domus, opimus boum grex perfolutus est. Post captas a Lyfandro Athenas, aurea & argentea moneta Lacedæmonem irrupit; quanquam ad publicas necessitates tantum, cæteris omnibus ejus usu capitali pœna interdicto. Apud Clazomenios, sicut & Britones nulla, nisi ferrea moneta invalescebat. Byzantinis pariter ferrea nota erat, in cujus religionem Sacramento obstringebantur. e)

De forma veteris Græcæ monetæ tradit Plutarchus in Lyfandr. verulos quosdam ferreos, vel æneos retulisse, ex quo, ait ille, nostra etiam ætate monetæ omnium minutissimæ

N 4

oboli

a) Sperling. de nummis non cufis. b) Plutar. in Lycurg. c) Justin. l. 3. d) Athen. l. 6, c. 4. e) Aristoph. Nubes, act. 1. scen. 3.

oboli nomen manet; (obelos enim Græce veru sonat) quemadmodum & drachma, sive pugillus dicitur moneta, quæ sex obolis, tot nempe verulis, quot caperet manus, valet. Fuerunt ex Antiquis, qui monetam in Lydia, sive in Perside, antequam in Græciam transfiret, obtinuisse contenderent. Primos cufæ monetæ aureæ & argentæ, qua in commerciis utebantur, Lydios authores fuisse tradit Herodotus l. 1. c. 9. 4. Paria apud Xenophanem & Polluce l. 9. c. 6. laudatum habes; nullibi tamen Epochâ inceptæ apud Lydios monetæ designatur. Sub Cræso nihil adhuc de pecuniis innotuisse suspicamur, cum ejus Principis thesauri auro argentoque rudi, atque ejusdem metalli pulvere replerentur, quod sane ex Herodoto l. 6. c. 123. licet intelligere in historia de Alcæone; permissus enim ille a Cræso tantum auri ex Regiis thesauris sibi capere, quantum secum deferre posset, aureo pulvere sinum, vestes, quas amplissimas de industria fumpserat, calceamenta, quin & comam ipsam referfit. Veterum phrasi auri massa *aurum factum*; arena vero & pulvis, qualis ex fodinis, sive auriferis amnis hauritur, *aurum infectum* appellabatur.

Persis ante Darium Hystaspem, ignota quidem moneta videtur; A) Rex enim ille argenti tributa ad pondus talenti Babylonici redigenda præ-

A) Herod. l. 3. c. 89. &c.

præscripsit; aurea vero ad talentum Euboicum. Aurum illud atque argentum Darius seorsim eliquanda in vasis fictilibus tradebat, quibus in massam redactis, fracto vase, aurum in frustra, quot ad usum necessaria erant, redigebatur. Addit insuper Historicus, A) Regem illum, ut nominis sui memoriam posteritati æternam commendaret, aureos quosdam nummos ex optimo, defœcatoque auro cudi iussisse, novo & nunquam apud alios Reges usurpato more, qui deinde nummi Darici appellati sunt.

In ea Herodoti historia nihil est, quod cæteri Scriptores reprehendant. Polycritus apud Strabonem lib. 15. ad fin. testatur, argentum omne ex tributis redactum, in Regiam & in arces Persidis deportari consuevisse, ex quo moneta in usus & sumptus necessaria tantummodo cudebatur. Fiebat inde, ut auri Persici maxima portio rudis; signata vero modica haberetur. Paria apud Diodorum Siculum traduntur l. 18. qui ab Alexandro Magno auri non signati ultra 40000. talenta, ad urgentissimas regni necessitates reservata, Susis reperta tradit; Daricorum vero non nisi 9000. auri talenta ea occasione inventa. Q. Curtius ad 50000. talenta *argenti non signati forma, sed rudi pondere* supputat. Hodie etiam consuetudo apud Reges Persidis obtinet, ut nulla cudatur moneta,

N 5

neta,

A) L. 4. c. 166.

neta, nisi quam Regnum ineuntes congiario populis dando impendunt, quæ quidem moneta nullo certo pretio constantique determinatur. Tandem veteres Parthos in armorum tantum ornamentum auro argentoque, uti Justinus est author l. 41. utebantur.

Post Darii Hystaspis Regnum, Daricorum frequens in Græcia usus, quorum figura jaculatore in postica exhibuisse ex Plutarcho Apophteg. Laconic. intelligimus. Agesilaus enim Rex Lacedæmonix Asiam deserere, ut regioni suæ succurreret, coactus, pelli se dicebat a 30000. spiculatoribus; quod scilicet Dimocrates 30000. Daricorum pretio Oratoribus Atheniensibus, & Thebanis corruptis, eas Gentes in Lacedæmonios armaverat. Xerxes, e Græcia facessens, Mardonium reliquit, *cum multum auri tum signati, tum non signati haberet.* A)

Quæ de Dario Hystaspis tradidimus, quasi omnium Regum primus Daricos fabricaverit, Scriptoribus quibusdam non probantur; quibus non Darius Hystaspis, sed alter longe vetustior Darius, eandem monetam cudisse visus est. Laudatur in eam rem Scholiastis Aristophanis testimonium, & Suidæ, qui veteres Daricos, non Dario patri Xerxis, sed alteri vetustiori tribuunt. Hunc dicunt aliqui esse Regem Darium Medum in Scriptura Dan. 5. 31.

ap-

a) Herod. l. 9.

appellatum, & eodem nomine apud Æschylum in Persis natum. Ex eodem vetustissimo Dario referunt illi monetas illas 1. *Esdra*. 2. 69. & 1. *Paral.* c. 29. 7. *Damonim*, & *Adarcon* sub inito Cyri Regno appellatas, easque cum Daricis confundendas arbitrantur. Sunt etiam qui tradiderint sub ipso Davidis regno *Adarcornim* obtinuisse; A) sed Authores alii sustinent, hanc monetam ex rudi metallo constituisse; nempe ex rudibus auri, argentique frustulis, certi tamen ponderis; quorum nomen ex Græco *Drachma*, non ex voce *Daricus*, derivatur. Utcumque tamen res habet sese, nulla vetus Lydiorum & Persarum moneta nostra ætate superest, cum vetustissimæ, quæ inter Cimelia servantur, Græcæ sint; & inter Græcos omnium remotissimæ ætatis habeantur nummi Amynthæ patris Philippi Macedonis, & avi Alexandri Magni. In historia mentio occurrit de *Decabæis*, & *Hecatombæis*, sub Theseo; sed an illa moneta esset rudis, vel signata, non constat: rudem credit Sperlingius, B) certi tamen ponderis, & unius, decem, vel centum boum valoris.

Cum igitur sermo est de veteribus monetis Græcorum ante Amyntham, non statim nummi aurei & argentei, instar nostrorum, emblemate quodam, vel figura insculpti, concipiendi

A) Vide Sperling. de numm. non cufis. B) De numm. non cufis.

cipiendi sunt : facile enim rudis erat moneta; vel si notam aliquam præsetulit, determinando tantum ponderi, ne ad libram semper in commerciis examinaretur, adjecta erat. Nec facile mihi persuaserim, nummos illos aureos Phidonis, de quibus supra, ejus ætate in Græcia cusos fuisse; vix enim in animum induxerim, auri, argentique cusam monetam in Græcia antea obtinuisse, quam Persidis moneta signata in eam Regionem inferretur. Olim enim auri & argenti metalla in ea Provincia supra fidem rarissima erant. De Philippo Macedoniae Rege narrat Athenæus l. 6. c. 4. semper, dum cubitum iret, aureum quendam scyphum sub cervicali reposuisse; tanti scilicet metallum illud faciebat, quod rarissimum fuisset. Anaximenes Lampfacenus apud eundem narrat, torquem aureum Eryphilis in tota Græcia ea tantum de causa celebratissimum fuisse, quod auri summa esset in eo Regno caritas; atque scyphum quendam argenteum tum temporis in Græciam delatum, tanquam rem novam, omnes suspexisse. Gyges Lydiae Rex, omnium primus auri, & argenti munera Templo Delphico obtulit, cum antea ærea tantum consuevisent; obtulit autem non statuas, sive alia ornamenta, sed tripodas tantum, & lebetes. Cum Lacedæmones auro liniendi simulacri Apollinis vultum consilium inivissent, conquistum per totam Græciam aurum, nusquam inven-

ventum est; quare consulto Oraculo, ejus indicio, a Cræso Lydiæ Rege metallum postularunt. Hiero Syracusarum Rex victoriæ simulacrum, aureumque tripodem Delphis oblaturus, totam Græciam excussit; tandem Corinthum veniens, immensa auri vi apud Architelem, qui sibi minutis emptionibus totam comparaverat, inventa, quantum sibi satis esset, postulavit. Architeles ultra conventum metalli pondus, tantum auri in munus Regi superaddidit, quantum manu sua contineret. Viri munificentia captus Hiero, navem frumento onustam, atque plura insuper munera rependit. Post hæc omnia pecuniam auream, atque argenteam vulgarem in Græcia, sive in Insulis fuisse, quis credat? Argentum, aurumque omne e sua Republica Lycurgus & Plato A) eliminantes, monetas ferreas & æneas, eas tantum sufficere persuasi, substituerunt. Veterem monetam, tanquam æneis & ferreis virgulis constantem, Plutarchus describit. In Regno Peruano antehac non nisi B) ferreas virgulas pro moneta expendebant; quin & plures recensuimus, atque infra recensebimus Gentes, apud quas nullus olim erat pecuniæ usus.

Veterum nonnulli C) aureæ monetæ in Italia inventorem Janum constituunt; quibus suffragari

A) Plut. in Lycurgo, Xenoph. de Rep. Lacedæm. Plato l. 5. de Legib. B) Latius apud Horn. l. 3. de Orig. Gent. Americ. c. 3.
C) Draco Gorgyræus apud Athen. l. 15. c. 14.

fragari videntur nummi quidam veteres in Italia, Sicilia, & Urbibus quibusdam Græcis cusi, Dei figuram ex uno latere, ex altera vero navem præferentes. Sed hæc minus certa; cum nummos illos diu post Jani ætatem posteritas, ut adventus Dei in Italiam extaret memoria, percussit.

*At bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.*

Quanquam autem solebant Romani metallis in commercio uti, in agris tamen & armentis proventus omnes suos potissimos constituebant. A) Vetus illius Gentis moneta ad libram, non ad numeros, pendebatur; B) æreisque frustulis rudibus, & infectis constabat, *æs rude*. Servius Rex, omnium primus, rudem monetam, bove & pecude insculpsit; unde monetæ nomen *pecuniæ* mansit: *Servius ovium, boumque effigie primus æs signavit*. c) De eodem Rege hæc addit Varro: d) *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt*. Plinius tamen, quinquennio tantum ante initum primum Carthaginense bellum, æs Romæ signari cœpisse tradit: *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem devictum usus est*. Quare argentea Servii moneta rudis fuisse facile creditur. Quin & eodem Plinio

Au-

A) Plin. l. 18. c. 3. B) Idem l. 33. c. 3. c) Plin. l. 8. c. 9.
D) Apud Charis. l. 1.

Authore, nonnisi post 62. annos circiter, usus cudendæ aureæ monetæ obtinuit.

Primi Carthaginensis belli tempore ærea moneta duplex ferebatur, altera gravior (*æs grave*) bicipiti Jano in Antica, & rostro navis in postica signata. In sextante navigium cudebatur. Extant etiam monetæ quædam argenteæ bigatæ, vel quadrigatæ, ex quo *bigati*, vel *quadrigati* appellatæ sunt. Plinius, unde hæc omnia hausimus, innuere videtur, aureos nummos domesticum tantum animal quodcunque exhibuisse.

Cœpisse apud Ægyptios & Phœnices cusi æris monetas ante Græcorum in Oriente imperium, nullo veteri monumento colligimus; neque enim monetæ ullæ, sive nummi veterum Phœnicum, & Ægyptiorum supersunt. A) Ante Romanorum in Gallos imperium usus monetæ apud eas Gentes nullus apparet. Quod Tolosæ in Templo, locisque sacris aurum erutum est, rude erat, *aurum argentumque inelaboratum*, B) nempe massæ, vel rotulæ argenteæ malleo ductæ. Cum Julius Cæsar in Insulas Britannæ ingressus esset, laminæ quædam metalli rudes, totam Regionis monetam reddebant. De illis Gentibus hæc Solinus c. 35.

Nuz-

A) Inter Cimelia D. Girardon spectavi folium quoddam aureum, veluti folium rosæ, ex ore, uti ferunt, Mummia Ægyptiæ deductum. Consuevisse quidem Veteres in ore cadaverum nautum Charonti, infernæ navis rectori, pendendum reponere, Lucianus in Dialog. mortuorum testatur. B) Strab. l. 4. pag. 131.

Nundinas, ac nummum refutant; dant res & accipiunt; mutant ibi necessaria potius, quam pretiis parant. Antequam Phœnices Hispania potirentur, & diu etiam post, apud quasdam ejus Provinciæ Gentes nulla erant commercia, sed rerum permutatio, vel saltem aureæ, vel argentæ laminæ portionem pro valore mercium solvebant. *Strab. lib. 3.* De Scythis, & Sarmatis memoriæ proditum est: A) *Auri & argenti, maximarum pestium ignari, vice, rerum commercia exercent.* Albanix populi, quemadmodum & Gentes ad Araxem omnis monetæ, ponderum & mensurarum, quin & calculi ultra centum, rudes erant. B) *Hodie pariter apud Circassos, & Avocassos moneta exulat omnis. In Æthiopia, & Bengala vilioris monetæ locum tenent testulæ, sive conchulæ in litore maris Maldivarum collectæ, ait Brenier tom. 2.* Commercium omnia in Mingrelia rerum permutatione constant, nullumque apud eas Gentes argenti pretium est certum; & si quid habent monetæ, ab exteris advehitur. *Bern. Epist. de situ Indost. pag. 201.* Apud Tartaros medius cortex mori, arte obduratus, atque sigillo armisque Regis obsignatus, pro vulgari moneta expenditur; omnisque in universa Tartarorum ditone, vel advenis ipsis, externæ monetæ usus interdictus est. c) *In Regno Cathai*

A) *Mela l. 2. c. 1. Vide & Strab. l. 6. pag. 208.* B) *Strab. l. 11. pag. 352.* c) *Chardin Voyage de Perse tom. 2. pag. 92.*

Cathai narrat Haitonius, papyrum sive crassio-
rem chartam in quadrum abscissam vulgarem
haberi regionis monetam. Ejus loco frustula
quædam sive ligulæ aureæ, argenteæque apud
Sinās obtinent. Ejus monetæ valorem pon-
dere supputaturi Sineses, stateram semper la-
teri appensam deferre consueverunt; ex ære
tamen nummulos quosdam, regionis insigni-
bus insculptos, vel annulos, quos deferunt fu-
niculo insertos, habent.

In Regno Mogolis ostrea, & amigdalæ syl-
vestres loco inferioris monetæ expenduntur;
in Regno Siam, & Japonia, æs grave tan-
tummodo non signatum; in Mexico fructus Ca-
cai, cujus in chocolata est usus. Laponibus
moneta uno seculo antiquior non est; in Æthio-
piæ Regno aurum, & sal pro moneta obti-
nent; aurum nempe in laminas redactum, sal
in tabellas pedales tribus digitis latas, totidem-
que crassas. Moneta Regni Lar, Persarum
armis 150. abhinc annis occupati, filum erat
argenteum rotundum, ad calami crassitudi-
nem, duplatum, & transverso pollice longum.
Itiner. Tavern. & Pauli Venet. l. 11. c. 22.

Post hæc omnia fusius deducta de origine
æris signati apud Lydios, Græcos, Romanos,
aliasque Gentes, aliquem fuisse monetæ signa-
tæ apud Hebræos usum, antequam Gentibus
illis innotesceret, nunquam persuaderemur.
Si autem vera sunt ea, quæ supra deduximus,

Phœnices nempe, & Ægyptios, gentes Judææ finitimas, & commercio maxime junctas, non nisi post vulgatum ex Perside, & Græcia æris signandi usum, monetam cudere cœpisse, paria de Judæis ne dubitantes quidem affirmamus. Ezechiel commercia, & divitias Tyriorum fufius describens, unde usum apud illos cusæ monetæ deducamus, nihil habet. Totus est Propheta in exaggerandis auri, argenti, stanni, plumbi, æris, & ferri divitiis, quas merces gens illa comportabat. A)

Nec argumenta tantum in eam rem negativa, ut ajunt, & conjecturæ suppetunt, cum in Scriptura de commerciis, & pecuniis veterum Hebræorum sermo frequens occurrat. An vero pecunia illa cusa fuerit, in examen revocare oportet.

Abrahami divitias Moyfes exaggerans, greges ipsius, servos, aurum, argentumque describit Gen. 13. 2. Vir ille speluncam in sepulchrum Saræ uxoris empturus, 400. argenti ficlos vulgaris monetæ venditori solvit. Ibid. 23. 26. Abimelechus 1000. argenti nummos, muneris loco, Abrahamo dedit. Ibid. 20. 16. Josephi fratres 20. nummis argenteis fratrem vendiderunt. Ibid. 27. 18. Jacob filios suos, cum pecunia, emendo in Ægyptum frumento, misit Gen. 42. & 43. & Ægyptii fami tolerandæ argentum omne suum ad Josephum

a) Ezech. 27. 12. 23.

phum detulerunt. Ibid. 47. 14. Hæc omnia pecuniam evidentissime ostendunt; quænam illa tamen, an signata & pondere uniformi, uti apud nos; vel tantum vulgaris, & certi ponderis, sed rudis & infecta?

Si in ea quæstione multitudinis suffragiis ageretur, non pondere rationum, æs cufum Abrahami ætate obtinuisse, ne ambigeremus quidem; sed cum rationibus agendum sit, cur multorum suffragia quæramus, nihil est. Ex ipso Textu, atque appositis a Moyse phrasibus res est repetenda. Nihil autem apud illum nisi nomina tantum auri, & argenti occurrunt; sicut & certæ monetæ pondera, sinceritas, atque usus; quid tamen hæc ad cufam monetam, de qua ne verbum quidem apud Sacrum Historicum? Nomina illa Siclus, Talentum, Gera, & Beka ponderum sunt, non monetarum; neque statim, ac moneta aliqua vulgaris dicitur, signata continuo reputanda est; cum æs grave ad id usque temporis, monetæ loco, apud varias Gentes obtineat. Fateamur ergo oportet textus ex Scriptura superius laudatos, monetæ Abrahami, & Patriarcharum ætate cufæ, ne minimum quidem favisse. Cum etiam in Scriptura metallum ad libram appensum memoratur, vetus statim mos insinuat apparet, argenti nempe ad libram solvendi; qui sane usus ante determinatum monetarum valorem obtinuit.

Abraham 400. siclos argenti in pretium sepulchri Saræ appendit; Gen. 23. inventum in oris sacculorum argentum fratres Josephi, ad illum reduces retulerant; argentum, inquam, ejusdem ac invenerant ponderis; *Argentum in pondere suo.* Gen. 43. 21. Siclus, & Talentum communia erant rebus omnibus pendendis pondera. Quas Eliezer munus Rebeckæ obtulit, armillæ decem siclorum ponderis habebant; in aures vero duorum. Gen. 24. 22. Jubet etiam Moyses Exod. 30. 23. ex myrrha 500. siclis, & cinnamomi 250. siclis, pondere Sanctuarii thymiana confici; atque oblata in usum Tabernaculi 72000. æris talenta Exod. 38. 29. narrat. Porro æris nullum in commerciis usum fuisse constat. Cum Absalon quotannis comam tonderet, detonsi crines 200. siclis pondere erant 2. Reg. 14. 26. Zacharias 5. 7. massam plumbi plumbi talentum appellat; talenti enim vox generica habebatur, nec genus ullum monetæ, vel pecuniæ certam summam necessario exprimebat.

In libris post Moysen scriptis, cum de pecuniis, aut solutionibus agitur, non absimiles phrasæ occurrunt. Impios Isaias 36. 6. describit argentum ad Idolum conflandum in statera appendentes. Jeremias 32. 10. agro quodam emendo, 17. argenti nummos ad libram solvit; quam in rem appensam ad latera libram, quemadmodum & lapides certi ponderis,

deris, vel saltem pondera ærea, vel plumbea, quæ Scriptura lapides appellat, delata credimus. Moyses cavet Deut. 25. 13. ne *in eodem sacculo diversa pondera* (in Hebræo *lapidem, & lapidem*) *majus & minus* deferantur. Ipse insuper Legislator mandat Ib. 23. 13. ut Israëlitiæ naturæ necessaria præstituri, extra castra exeuntes, paxillum semper præter libram apud se habeant. Avari apud Amos 80. de nimia festorum dierum frequentia querentes, sese insuper hortantur: *Imminuamus mensuram, augeamus siclum, supponamus stateras dolosas.* Dolis evitandis ponderum, & mensurarum typus in Templo asservabatur; unde ponderi exacto designando, proverbii loco obtinuit in Sacra Scriptura *Ad pondus Sanctua: ii.* In 2. Reg. 14. 26. *pondus Regium*, sive publicum; quod scilicet monetarum, ponderum, & mensurarum totiusque in commerciis politicæ, atque publicæ securitatis cura, Regis providentiæ incumberet. Duo hæc pondera Sanctuarii, & Regis aliud quid plane oppositum ponderi extranearum Gentium, Phœnicum, Ægyptiorum, & Chananæorum designare in Scriptura Sperlingius autumavit; siclus scilicet Hebraicus cæteris vicinarum gentium, quibuscum Judæi assueverant, pondere præstitisse creditur. Vulgo pariter Commentatores, duo, inter Hebræos, ponderum genera distinguunt, Sacrum nempe & vulgare; illud Tem-

pli & Sanctuarii dictum, quod duplo alteri præstabat; alterum in usum commercii destinatum. Hæc tamen nutare sententia, futilibus innixa conjecturis, facile creditur. D. le Pelletier in Dissert. de pondere comæ Absalonis, *pondus Regis*, de Babylonico pondere interpretatur; quo scilicet in captivitate Babylonica, & post illam, in commerciis Hebræi uterentur. Scriptor enim, qui Regum libros digessit, huic captivitati sive *suppar*, sive paulo inferior vixit.

Olim apud Judæos argenti tantum & auri in commerciis usus obtinebat; qui enim nummi ejus Gentis ænei supersunt, vel adulterini sunt, vel sub Simone Macchabæo cusi. Neque Turcæ, Arabes, Ægyptii, & Orientales plerique aliam monetam hodie usque norunt. A)

Porro metalla illa sive in virgas, sive in laminas, sive in massam, ut de Sinensium monetis supra inuimus, redigi consuevisse credimus. Similes enim phrasæ in Psalmo 68. 31. leguntur: *fragmenta argenti*, quæ potentes viri conculcant, quod facile de virgulis argenteis dictum explicari potest. *Ligamen argenti*, legitur Gen. 42. 35. B) quod de virgulis, seu verulis argenteis, instar obolorum Plutarchi, quorum pugillus drachmam reddebat, in fasciculum

A) Bellon. Observ. l. 2. c. 103. B) Vide & Proverb. 7. Vulgo Sacculum argenti. Osee. 13. 12. Exod. 32. 4. Job. 14. 17.

culum colligatis facile usurpatum est. Non tamen negaverim phrasim illam: *ligare argentum*, A) tantumdem sonare in Scriptura, ac in panno quodam, sive in marsupio argentum claudere; quod sane nostræ hypothese non repugnat. Acham Josue 7. 21. Spolia Jericho excutiens, in *regulam auream* (Hebr. *linguam auream*) 50. siclorum auri, & insuper in argentum pondere 200. siclorum incidit. Crimina sua Deum recondidisse, veluti virgulas argenteas in marsupio, Jobus insinuat. David collectos auri argenti & æris in virgas, & in massam thesauros filio reliquit; aurumque illud, quod Moyse in opus Tabernaculi, Aaroni aureo vitulo conflando, Josiæ ad facta tecta Templi collatum est, in monetam certe cûsum non fuisse constat.

Post inductum in commerciis Hebræorum argentum, adhuc tamen vetus quandoque mos rerum permutandarum servatus est; ita emisse Jacob a filiis Hemor partem agri 200. agnorum pretio in Septuag. Vulgata, Chaldæo, & plerisque Commentatoribus legimus. B) In Hebræo est 200. *Kesitab*, cujus vocis significatio obscurissima est. Adiri potest nostrum commentarium in hunc locum. Si quis tamen eam vocem de moneta aliqua agni figura signata interpretari maluerit, eamque Abrahami ætate obtinuisse contenderit, suæ illum opinio-

O 4

ni

A) Ag. 1. 6. צדור נקיב Sacculus. B) Gen. 33. 19.

ni inhæsisse per me liceat. Jacob præstitæ Labano servitutis non aliam mercedem, quam gregis portionem postulavit; Gen. 30. 33. nec ipse vicissim alterius generis munusculis Esau fratrem delinivit Gen. 32. 18. Quæ rerum permutatione instituebantur commercia, in libro Job. 2. insinuantur, cum de homine sermo est, qui *pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet, dabit pro anima sua.* A) Eadem spectans Ecclesiasticus 26. 18. pretiosum adeo nihil esse dixit, quod pro sapiente dari possit. Utrumque commercii genus, argenti nempe soluto pretio, & rerum permutatione, exactissime describit Isaias: *Venite, ait cap. 55. 12. emite absque argento, & absque ulla permutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Gregis sui hædum Judas ad Thamar detulit Gen. 38. 17. Salomon acceptis ab Hiram lignis, frumentum & oleum in pretium rependit 3. Reg. 5. 10. Oseas uxorem sibi pretio 15. argenteorum, & unius cori cum dimidio hordei emit. Ose. 3. 2.

Obsolevit jam inter Eruditos recepta illa persuasio de siclis quibusdam, quos in Judæa cusos sub Davide, & Salomone jactitabant. Licet enim cum Moysis ætate comparati, recentissimi nummi illi reputari potuissent; tantam nihilominus præferrent vetustatem, quanta cusis Græcorum & Persarum monetis

nun-

A) Gen. 30. 33.

nunquam tribui potuisset. Cum enim Samaritanis characteribus inscribantur, speciem, quasi ante captivitatem cusi essent, præferunt; hæc enim scribendi apud Hebræos ratio post captivitatem obsolevisse fertur. Cum demum in uno latere insculptum legeretur *Jerusalem Sancta*, in altero *Siclus Israël*, certâ statim ætas numismatum intelligebatur, nempe ante divisum sub Jeroboamo Regnum; post successionem enim factam inter Israël, decem nempe Tribus, & Judam, id est Tribum Juda, & Benjamin, Jerusalem, Israëlitarum seu 10. Tribuum opinione, de veteri religione excidit. Numismatum igitur ætatem constitui oportebat ante Jeroboami Schisma; cum Hebræi omnes uno Israël nomine censerentur, unico parerent e domo David Regi, atque Jerusalem totius Judaicæ religionis sedes haberetur.

Sed tam bellæ ratiocinationis fundamenta omnia nutant, ut proinde horum numismatum vetustas speciosior sit, quam solidior. Veterem scribendi rationem post captivitatem apud Judæos prorsus obsolevisse, obtinentibus pro Samariticis Chaldaicis characteribus, quales hodie in Bibliis suis adhibent Judæi, tanquam certum constituitur. Sed contra receptam illam persuasionem faciunt numismata sub Simone Macchabæo cusa, Samaritanis characteribus, quos potius Phœnicios & Hebræos veteres di-

xeris, insculpta. Quin & veteres omnes Chaldaeo, vel Hebraico recentiori caractere inscripti, Antiquariorum omnium consensu supposititii pronunciantur. Parem feramus sententiam oportet in numismata, quæ Davidis & Salomonis ætatem mentiuntur, cum falsitatis caracteres non obscuros præferant; tum quod recenti cusa metallo, cum puerilibus insculpta sæpe emblematis deprehendantur. Nonnulla ex ære conflata sunt, quo metalli genere nunquam in commerciis usos veteres Hebræos supra ostendimus. Uno vel altero seculo vetustiora non esse asserit Sperlingius, atque in virum se, illa fabricantem, in Holstia incidisse testatur. Inter quam plurimos siclos, quos in variis Musæis Patinus inspexit, nullum sibi, qui antiquior esset, occurrisse scribit. Veros quidem siclos extare, sed omnes sub Simone Macchabæo cusos, sentit Morellus; quæ sane Eruditorum omnium, a nobis consultorum, est una sententia. Quare inter apocrypha sunt numismata Abrahami, sene in antica, & vitulo in postica, insculpta; Moy- sis, cum viri imagine cornuta, (quemadmodum imago Alexandri, & quorundam ex Successoribus exhiberi solet) inscripta ex altero latere illa sententia: *Non habebitis Deos alienos coram me*; Josue, taurum hinc, inde monocerotem exhibentia; David, cum Regiæ sedis, & turris figura; Mardochei, cum sacco & ci-

& cinere ex uno latere, corona vero ex altero. Nec meliora auguramur siclis, inter veterum Ecclesiarum Cimelia asservatis, quos ipsissimos a Juda solutos in pretium venditi Servatoris jurant. Nummi siquidem illi, caput insignis Colossi, Soli dicati, præferentes, inde vero rosa insculpti, vetera Rhodium numismata sunt.

Quod ad genuinos siclos, sub Simone Macchabæo culos, attinet; Summo illi Sacerdoti cudendæ monetæ potestas ab Antiocho Sidete Syriæ Rege potestas facta est: *Permittimus tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua.* 1. Macchab. 15. Cum tamen icones omnes, & imagines, Judæorum lege interdicerentur, emblematis quibusdam, sive vase aliquo Templi monetas suas Simon insculpsit; e. g. vase, scypho, vel lyra ex uno latere; ex altero vero palmitis vitis cum fructu, pampino, manipulo, spicis, vel simili; inscriptio addita erat in uno tantum latere, *siclus* vel *hemisiclus* (pro monetæ pretio) *Israël*; in postica legebatur anni nota. 1. 2. 3. 4. sive 5. adjectis verbis: *Liberationis Sion.* Nullæ extant monetæ, in quibus ulterior, quam annorum 5. nota exhibeatur, quâquam ultra 8. solidos annos Simon regnavit; atque nullæ circumferuntur Joannis Hircani, qui post illum rerum potitus est, quâquam 20. annis jus dixerit. Quamobrem aliqui suspicantur Judæos Simoni fugge-

fuggesisse, hæc cusa in monetis emblemata, non minus quam animantium, hominumque figuras Legi repugnare; qua inductus persuasione, facile Sacerdos concessio sibi privilegio renuciaverit. Non defunt etiam, qui cusas credant a Simone monetas non in Judæa, sed in Urbibus quibusdam Samaritanis ditionis suæ; quod scilicet Samaritanis characteribus, jam apud Judæos obsoletis, inscriptæ sint; neque figuram aliquam in monetis insculpi, in regione sua Judæi sustinuisent. Verum, ratiocinantur illi, cum inita a Simone ratio, cudendæ scilicet in Urbe Samaritana monetæ, quod in Judæa nunquam ausus fuisset, cum avita Lege semper repugnasse deprehenderetur; tandem vir ille religiosus susceptum opus dimisit. Conjecturæ quidem sunt istæ, sed non temere prorsus excogitatæ.

Quid enim moverint Judæi, cum Pilatus Imperatoris imaginem in Urbem invehere tentaret, A) satis scimus. Cum Vitellius exercitum in Arabes ducens, per Judæam iter habere disposuisset, Judæi optimates suscepta ad illum legatione rogarunt, ne vexilla, Romanorum Imperatorum imagines exhibentia, in Judæa explicaret.

Cum Herodes Magnus B) in ornamentum theatri, Jerosolymæ a se excitati, trophæa erexisset, murmurare populus, quod trophæa illa
arma-

A) Vide Joseph. Antiq. l. 18. c. 4. & de bello l. 2. c. 8. B) Antiq. l. 18. c. 17.

armatas statuas crederet, nec antea quiescere, quam sublatis armis nuda ligna apparerent. Ornatas figuris ædes Herodes Tetrarcha sibi Tiberiade construxerat, quas ut Cives ejus Urbis abolerent, Josephus Historicus, legatione pro Optimatibus Judæorum functus, etiam atque etiam rogavit. A) Salomonem violatæ Legis reum agit ipse Josephus, eo nomine, quod boum simulacris vas, mare dictum, & in Templo constitutum ornasset. B) Rumorem etiam Jerosolymis excitatum occasione Aquilæ aureæ, super Templi januam ab Herode Magno constitutæ, idem Historicus alibi narrat. c) De hac Judæorum religione ita etiam Tacitus Histor. l. 5. *Nulla simulacra Urbibus suis, nedum Templis sunt, non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor.* Nulli quin etiam apud Judæos erant imaginum artifices, non sculptores, non pictores juxta Origenis testimonium contra Cels. l. 4.

Quamquam autem inter ipsos Hebræos Doctores de sensu Legis, figuras & imagines interdicens, non constat; atque inter ipsos nonnulli emblemata omnia, & hieroglyphica, quorum nulla in rerum natura similitudo, permitti in Lege contendunt; plerique tamen imagines omnes, vel astrorum, etiam ad merum ornatum, interdictas defendunt. d) Nullæ etiam hodie in domibus Hebræorum, & Synagogis extant ima-

A) De Vita sua. B) Joseph. Antiq. l. 8. c. 2. C) Antiq. l. 17. cap. 8. D) Vide Selden. de Jure Naturæ, & Gent. l. 2. c. 6.

imagines, Leone Mutinensi testante; a) quamquam pecuniis vulgaribus utuntur, quin & imaginibus ab aliis factis, non in commercium tantum, sed etiam in ornamentum; & JESU CHRISTI ætate moneta Romana, Cæsarum effigie cusa, in Judæa vulgaris habebatur. Matth. 22. 17.

Hinc conjecturam capere licet, quare Simon ab incæpto cudendæ monetæ destiterit. Reges tamen Asmonæi, qui filio ipsius Simonis Joanni Hircano successerunt, ab hac Avi religione recedentes, monetas cum imagine sua, adjecto in postica emblemate, fertilitatem Judææ significante, cuderunt; qui deinde mos usque ad excidium Judææ sub Vespasiano obtinuit.

Varia monetarum genera in Scriptura occurrunt; e. g. Talenti, Sicli, Hemisicli, Hebraice *Beka*, Oboli, Hebraice *Gerab*. Alia sunt etiam minus nota, ut *Ksita*, *Adarconim*, sive *Darcmonim*, *Mina*, vel *Mna*, *Denarius*, *Stater*, quæ nomina sunt extraneæ Hebræis monetæ. Qui de valore & pondere monetarum Hebraicarum differuerunt Authores, adeo inter se varii sunt, & discrepantes, ut quæ potissimum sententia in ea re seligatur, discerni vix possit. Siclos sub Simone Macchabæo vulgares non idem servare pondus, peritissimorum virorum relatione, qui plures ad libram exami-

a) Leo Mutinen. par. 1. c. 2.

examinarunt, didici. Cum tamen certam sibi determinari sententiam Lectores plurimi exposcant, neque inamœnæ hujus quæstionis intima penetrandi sibi negotium velint assumere; hinc calculum D. le Pelletier Rothomagensis, viri exactissimi & eruditissimi, præferendum duximus.

Dabimus etiam supplementi loco, mensurarum & ponderum Hebraicorum ad Gallicana supputationem.

In conferendis autem veteribus, cum nostris monetis maxime habenda est ratio, ut certum monetarum pondus, atque ponderum valor determinetur. Libra Gallicana refert 16. uncias, vel 2. Marcha, vel 128. grossos, vel 324. denarios, vel 9216. grana.

Marchum 8. uncias continet.

Uncia 8. grossos; grossus tres denarios; denarius 24. grana.

Scutum aureum 63. grana.

Ludovisium aureum 126. & Hemiludovisium 63. grana.

Ludovisium argenteum, sive scutum 21. denarios, 8. grana, sive 512. grana.

Dimidium Ludovisium argenteum, sive dimidium scuti, pondere est 10. denariorum, 16. granorum, vel 256. gran.

Aureus Hispanus 126. granorum, atque aurei dimidium 63. granorum.

Regale Hispanicum 2. denar. 16. gran. five 649. gran.

Aureum Regale 5. denar. 8. gran. five 128. gran.

Auri valor ad argentum relatus, pondere collato, est veluti 1. ad 14.

Valor Monetarum Hebraicarum ad Gallicanas.

Siclus argenteus pondere erat hemiuncia, vel 4. drachmarum Romanarum, vel 266. & $\frac{3}{5}$ grani; quare medium Ludovisum 11. granis excedebat. Valebat autem 32. solidis, 5. denariis, & $\frac{3}{8}$ denarii pecuniæ nostratis.

Hemisiclus argenteus, vel Beka, pondere erat 133. granorum, & $\frac{1}{2}$ valebat 16. solidis, 2. denariis, & $\frac{1}{6}$ denarii monetæ nostratis.

Tertia Sicli pars, quam Judæi post captivitatem Templo capitationem solvebant, pondere erat 89. gran. valebat 10. solidis, 9. denar. & $\frac{1}{4}$ denarii.

Gerah, five obulus Hebraicus, vigesimam sicli argentei partem æquabat; nempe pondere erat 13. gran. & $\frac{7}{10}$ grani, valebat 1. solido, 7. denar. & $\frac{1}{2}$.

Kesitah, moneta erat aurea 12. circiter librarum, & 10. solid. monetæ nostratis, juxta ac D. Le Pelletier opinatur.

Sicli aurei pondus æquabat hemisiclum argenteum, adeoque 2. drachmas Romanas, vel

133. grana, & $\frac{1}{2}$ nempe Ludovisium aureum 7. granis, & amplius aliquanto excedebat; valebat autem 11. libris, totidem solidis, & 9. denariis, ac $\frac{1}{4}$. monetæ nostratis.

Darcmonim, vel Adarconim, Darici erant; pondere & valore siclum æquabant. Porro monetas illas quoties in Paralipomenis, & in Efdra occurrunt, Septuaginta verterunt drachmas; cum Alexandrinorum drachmæ, quas illi supputabant, duas continerent Romanorum drachmas.

Minæ argentæ summa ad 60. argenti siclos ascendebat, atque valoris erat 97. librarum, 6. solidorum, 10. denariorum, & $\frac{1}{2}$. monetæ nostratis.

Mina aurea 60. siclorum auri, valebat 695. libris, 6. solidis, 3. denariis monetæ nostratis.

Talentum argenteum 50. minarum argenti, sive 3000. siclorum argenti, pondere erat 1500. unciarum Romanarum, sive 125. librarum Romanarum, & supputatum ad nostrum pondus Marchi 86. librarum, 14. unciarum, & 5. grossorum, valebat 4867. libris, 3. solidis, 9. denariis monetæ nostratis.

Talentum aureum 100. minarum auri, sive 6000. siclorum auri, pondere erat 2. drachmarum Romanarum, adeoque 1500. unciarum, sive 125. librarum Romanarum, & 86. librarum, 14. unciarum, 5. grossorum nostri ponderis marchi; valore erat 69531. librarum, 5. solid. monetæ nostratis.

Mensuræ longitudinum Hebræorum.

Mensuras longitudinis Gallicanæ, ad quas deinde Hebraicas reducamus, primo determinare oportet.

Pes Gallicus 12. pollices, pollex 12. lineas æquat.

Pertica 6. habet pedes; leuca 2000. perticas.

Cubitus Hebraicus 20. pollices $\frac{44}{89}$. scilicet 20. pollices, & $\frac{1}{2}$. circiter.

Zeret, sive hemicubitus 10. pollices, $\frac{22}{89}$. pollicis.

Tophac, sive palmus Hebraicus 3. pollicibus $\frac{37}{49}$. respondet.

Esbah, vel digitus $\frac{76}{89}$. pollicis.

Iter quod Sabbato confici poterat, 2000. cubitos Hebraicos habebat; nempe 569. perticas, pedem 1. 3. pollices, $\frac{68}{89}$. pollicis mensuræ Parisiensis.

Stadium Hebraicum, authore Josepho, habebat 400. cubitos Hebraicos, nempe 683. pedes, 1. pollicem, $\frac{67}{89}$. mensuræ nostratis.

Mensuræ cavæ liquidorum Hebraicæ ad Parisienses relatæ.

Dolium Parisiense capit 8. pedes cubicos, & dolium alterum (*tonneau*) 24.

Pes cubicus habet 1728. pollices, vel 36. pintas; pinta vero 48. pollices.

Hemi-

Hemipinta capit 24. pollices; medius sextarius 12. pollices, & quarta pintæ pars 6. pollices cubicos. Quare dolium minus liquorum Parisiense (*la muid*) habet 288. pintas; & dolium 864. pintas.

Dolium idem (*muid*) aridorum Parisiense continet 48. pedes cubicos, vel 12. sextarios.

Sextarius habet 4. pedes cubicos, vel duas minas.

Mina 2. minas minores, vel 2. pedes cubicos.

Mina parva habet pedem cubicum, vel 3. staria (*boisseaux*.)

Starium (*boisseau*) 16. quadrantes, (*litrons*) 576. pedes cubicos.

Quadrans (*litron*) 36. pedes cubicos.

Bathus sive *epba* Hebraicum, ad nostras mensuras relatum, habet 1434. pollices cubicos; $\frac{475158}{704969}$. adeoque capit 29. pintas, mediamque pintæ partem, hemisextarium, & octavam pintæ partem, atque insuper. $\frac{475158}{704969}$.

Chorus, sive *Chomer* Hebraicus habet 10. bathos, nempe 14340. pollices cubicos $\frac{310720}{704969}$. vel 298. pintas, ac mediam pintæ, sextariique partem, & $\frac{310720}{704969}$. pollicis cubici.

Letch, dimidium erat Chomer, adeoque habebat 7170. pollices cubicos, & $\frac{155360}{704969}$. pollicis, vel 149. pintas cum medio sextario, octava pintæ parte, & $\frac{155360}{704969}$. pollicis.

Seah tertiam Bathi partem referebat, adeoque habebat 478. pollices cubicos $\frac{158386}{704969}$.

sive 9. pintas, cum dimidio pintæ & sextarii, octava pintæ parte, ac 4. pollices, & $\frac{158386}{704969}$.

Tria sata, de quibus Gen. 18. 6. ipsissimum sunt epha. Porro alia est hæc mensura a trientali in Pl. 79. 6. & Isa. 40. 12.

Gomor, vel Assaron, decimam ephæ partem habuit, nempe 145. pollices cubicos $\frac{1647517}{3524845}$. vel tres pintas detracto $\frac{1877328}{3524845}$. pollicis.

Cabus sexta pars *Seab*, sive *fati*, vel octava pars epha, habebat 79. pollices cubicos, & $\frac{496375}{704969}$. pollicis, sive pintam, mediamque & octavam pintæ partem, cum pollice cubico, ac $\frac{496377}{704969}$.

Quadrans Cabi habebat 19. pollices cubicos $\frac{652821}{704969}$. vel medium sextarium, octavam pintæ partem, pollicem cubicum, & $\frac{652821}{704969}$. pollicis cubici. Huic mensuræ alterum est nomen *robab* vel *log*, aut sextarius *Rabbinicus*. Vide 4. Reg. 6. 25.

Nebel 3. bathos capiebat; quare habuit 4304. pollices, & $\frac{15536}{704969}$. vel 87. pintas cum semipinta, semifextario, 2. pollicibus cubicis, ac $\frac{15536}{704969}$. pollicis.

Hin, sive tarcabus perinde habebatur, ac medium starium, vel semi-seah Hebraicum, sive sexta pars bathi; habebat 239. pollices, $\frac{79193}{704969}$. vel 4. pintas, semipintam, semifextarium, octavam pintæ partem, 5. digitos cubicos, & $\frac{79193}{704969}$.

Dimi-

Dimidium hin habebat 119. pollices $\frac{392084}{704969}$.
vel pintas 2. semifextarium, octavam pintæ
partem, 5. pollices cubicos, & $\frac{392081}{704969}$.

Tertia pars hin cabum æquabat.

Quadrans hin habebat 59. pollices cubicos,
 $\frac{548525}{704969}$. vel pintam cum $\frac{1}{8}$. 5. pollices $\frac{548525}{704969}$.

Sextarius hin, nempe sexta pars ejus men-
suræ, 39. pollices cubicos, & $\frac{600673}{704969}$. Vide
Ezech. 11.

Pondion, sive dipondion Rabbinicum, men-
sura, de qua in Misna, habebat 2. logos, adeo-
que sextarium hin æquabat.

Betza, vel ovum Rabbinicum, habebat jux-
ta illos sextarium log, nempe 3. pollices cu-
bicos, & $\frac{678895}{2114907}$.

Cos, vel scyphus paschalis, vas benedi-
ctionis, agendis post cibum gratiis destinatus,
habebat 4. pollices cubicos $\frac{691932}{704969}$.

Rebiith, vel quarta pars log, tantundem
ac crater paschalis capiebat.

Mikue, vas toti homini lavando destina-
tum, cum judæi e foro redibant. Marc. 7. ca-
piebat 40. seah, nempe 400. pintarum minus
aliquanto.

Semper ac in Septuaginta, & Vulgata occur-
rit metreta, cadus, ceramium, cous, vel
chus, vel congius, atque pro mensura usur-
pantur, semper pro batho, vel epha positas
esse voces reputandum est.

DISQUISITIONES

*In Chronologiam, Annos, Menses, Dies, Horas
Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum,
& Hebræorum.*



Chronologiæ studium, omnium consensu longe utilissimum, summeque necessarium reputatur; ejus enim præsidio destituta historia, incondita rerum struementem onerat potius, confundit, atque corrumpit, quam ut instruere, moresque & prudentiam dirigere (quæ singularis est Historiæ indoles) valeat. Cum tamen scribendæ Historiæ Provinciam serius, quam par est, veteres iniverint, atque in designandis certis rerum gestarum epochis priorum Scriptorum diligentia desideretur; factum inde, ut in studio temporum salebrosa & ardua via decurrenda sit; tunc maxime cum Historia Sancta V. T. cum Authoribus prophanis, veteres Paganorum historias narrantibus, concilianda fuscipitur.

Quo autem Lectores ipsi per se, plenius in rebus Chronologicis instructi, quem singulæ certitudinis gradum attingant, æqua sententia dijudicent, quidquid certi, incertive continetur in Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, quibuscum maxima fuit Hebræis consuetudo, in medium

pro-

proferemus; ad Hebræos deinde descendentes, de forma annorum apud singulas eas Gentes de temporis distribuendi ratione differemus. Hinc variis Scripturæ textibus, quorum singuli seorsim fusioem quam pro nostro instituto, exigent Commentarium, lux afferetur.

Magni nominis Scriptores quidam, post navatam sedulam atque laboriosam rebus Chronologicis operam, vix profecisse quidquam intelligentes, rei tandem desperatione victi, certam, exactam atque perpetuam ex Historia Sacra (Chronologiam A) deducere, rem esse deploratam, ultro pronuntiarunt. Quid de Historia prophana, in qua exactitudinis ut plurimum, & authoritatis semper est minus? Ex variis Josephi locis colligimus, annos Judicium & captivitatem, quæ sub Judicibus contigerunt, non continuata quidem successione jungi, sed intercedentibus ante captivitates anarchiis interpolari. Paria apud Julium Africanum in Chronologia legas. Porro in Sacra Historia, ait Isaacus Vossius B) *captivitates, & anarchiæ, veluti spatia mortua, & infausta, in censum temporis politici non veniunt.* Observat deinde: *Josephus non captivitates, sed solas*

P 4

omittit

a) Isaac. Vos. Can. Chronol. pag. 236. *Pro firmo itaque habeatur, Sacras Literas continere tantum mensuram temporis politici, nec posse ex illis colligi mensuram temporis physici.*

b) Ibid. pag. 235.

omittit anarchias. Nec a Vossio in Chronologia dissentit Simonius; A) cum enim, ait, Libri Scripturæ ex variis rerum gestarum narrationibus, fusioribusque monumentis per compendium deducti sint, neque semper in illis immediatæ Genealogiæ retexantur, constantem ex illis Chronologiam derivare frustra conaremur. Detruncatæ Genealogiæ exempla plurima suppetunt. 1. Esd. 7. 3. generationes sex desiderantur; totidemque desunt in Genealogia I. C. apud S. Matthæum. Hinc S. Hieronymus de Chronologiæ Regum Juda & Jerusalem discrepantia agens, *bujusmodi*, ait ad vitalem, *hæere quæstionibus, non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videtur*; atque in eam rem laudat illud 1. Tim. 1. 4. *Neque intenderent fabulis, & Genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei.* Annos ab ortu Mundi usque ad Æram Christianam nunquam, nisi per conjecturas, deficiente in annis designandis Scriptura, unico hujus Historiæ fonte, P. Petavius Ration. temp. par. 2. l. 2. c. 1. deduci tantum posse testatur.

Neque per Historiam prophanam, quam per Sacram, iter est planius; cum in prophanis etiam detruncatæ Genealogiæ, atque supputationes suis numeris minus absolutæ non desint. Ex 23. Macedoniæ Regibus Solinus

C. 14.

c. 14. ducto catalogo, 8. vel 9. tantum recenset. Justinus Assyriæ Reges hoc ordine diducit: Belus, Ninus, & Semiramis; statimque ad Sardanapalum transit. In Chronicis Persarum totum temporis spatium, post obitum Alexandri Magni usque ad Arfacem, silentio præteritur; atque de Arface ipso ita agitur, quasi non de Partho, sed de Persa, Dario sive Artaxerxi sanguine juncto. A) De singulis autem Chronologiarum Chaldaicarum, Ægyptiarum, Græcarum, atque Romanarum difficultatibus, ex iis, quæ infra deducemus, Lectores instruuntur. Nihil plane esse in Historia prophana certi, donec exactior in scribendo methodus, atque supputandarum Olympiadum ratio obtineret, una est Eruditorum sententia.

Quod scientiæ fidei parum Historicis prophanis inesset, ex eo veluti fonte, ut plurimum, errores, vel saltem in rebus Chronologicis ambiguitates profluxerunt, ut in decernendis temporibus perspicuitas, vel in exactissimis inter illos aliquando desideretur. Interdum numeri rotundi gratia, ea, quæ intra aliquod temporis spatium, incertum tamen quo potissimum anno, contigerunt, apposito rotundo numero certo tempori assignata sunt. Hinc pro 304. sive 298. annis, annus rotundus 300. descriptus est. Princeps qui 19. annis, & 6. mens. regnavit, 20. annis rerum potitus

P 5

scri-

a) Pezron Antiq. des tems retab. c. 8. pag. 68.

scribitur. Accidit inde non raro, ut 50. annorum spatium idem annus ter in supputatione recurrat; ut cum Princeps regnasse fertur 20. annis, cum tamen 19. tantum, ac 4. mensibus Regnum habuerit; item successoris anni 10. numerantur, cum alioquin 9. ac 6. mensibus regnaverit; e quibus etiam decem illius annis 8. menses de vigesimo decessoris anno accipiendi essent. Ducta interim omnium simul annorum utriusque Principis summa, statim 30. anni supputantur, cum tamen 29. annorum spatium non excefferint. Numerus fractus, vel anni dimidium in Scriptura, & prophana Historia nunquam fere exprimuntur; ex quo conjecturam capere licet, accidere potuisse non raro, ut plures anni in supputationibus omitterentur, adderenturve; quibus neglectis universam Chronologiæ œconomiam turbatam esse, jure possumus suspicari.

Alteram errandi occasionem præbuit varia apud varias Gentes dividendi temporis ratio. In libris quibusdam apocryphis traditum est, ab ortu Mundi usque ad 160. Henochi, annos non per mensium periodos, sed per hebdomadas numerari consuevisse; quem calculum Henochus, ab Angelo Uriele instructus de anni temporibus, astrorum atque anni revolutionibus, reformavit. A) Apud aliquas Gentes anni computati sunt in menses; apud
alias

A) Vide Salmas. de ann. Climaſter.

alias in singulos quadrimestres; nonnullas in semestres; erant, qui æstatem & hyemem in duos annos computarent; item qui annum in singulos 10. menses, qui tandem in singulos quadrimestres; nonnullas in semestres; erant, qui æstatem & hyemem in duos annos computarent; item qui annum in singulos 10. menses, qui tandem in singulos duodecim. Fuerunt, qui annum in quatuor tempora, alii in tria, alii in duo dividerent; his Lunares menses sunt & anni; illis Solares. Neque idem apud omnes exordium anni; quem enim plures ab autumno, non pauci a vere, sicut & alii ab hyemis medietate exordiebantur. Dies quoque civilis varius apud varias Gentes, illis vesperæ, his media nox, aliis mane, aliquibus tandem meridies diei caput constituitur.

Noctis vero & diei quam multiplex dividendæ ratio? nox enim sæpe in tres, quandoque in quatuor vigilias distincta est; diei partes elevatus supra Horizontem nostrum sol promensura sui cursus dimetiebatur. Cum vero per horas tempus supputari cœptum est, in horis dissidium fuit. Minus cauti atque instructi Scriptores, omnes eos annos confundentes, atque variam apud varias Gentes annorum rationem ad unam constantemque regionis suæ consuetudinem reducentes, incertis annorum notis tempora determinarunt, totamque inde Chronologiam & Historiam miscentes turbaverunt.

runt. Ex eo fonte, ait Plinius, portentosa Ægyptiorum vetustas, quam jactant, profuit; singulis bimestribus in annum computatis, ut infra observabimus.

Cum Olympiades obtinerent, errores tamen incautis Historicis obrepserunt; insignes enim Historias Olympiadum numero designantes, quo tamen potissimum Olympiadis anno contigerint, silentio præterierunt. Sæpe etiam rei gestæ tempus ad celebre aliquod factum rerulerunt, quantum scilicet inter hæc duo abfisset annorum, supputantes; cum interim postremæ hujus Historiæ tempus, Scriptorum illorum ætate notissimum, nostra ætate lateat, ex quo inextricabiles Lectori ambages. Ita Ezechiel Prophetiam suam ad annum 30. consignat; ex quo autem supputandi hujus calculi exordium capiat, prorsus obscurum.

Chronologia Ægyptiorum.

Postquam de universa Chronologia observationes nostras in medium protulimus; modo de singulis variarum Gentium singillatim agendum. Sacerdotibus Ægypti olim scribendorum Gentis Annalium provincia unice demandata erat, qui tanta apud se cautione Commentarios illos servabant, ut externis nonnisi Regis expresso præcepto communicarent. Annales illos secum detulit Artaxerxes Rex Persarum;

rum; mox vero Eunuchus Bagoas, ingenti pretio accepto, Sacerdotibus illis restituit. A)

Quibus ita constitutis, non immerito quis suspicaretur, nihil esse certius, sanctiusque servatum hac Ægyptiorum Historia & Chronologia; quippe quod ejus rei cura doctissimorum virorum studio & diligentia ita commissa esset, ut ab omni corruptione depositum illud servaretur immune. Vix tamen propius ad id studium accedimus, confusa omnia, & præ cæteris etiam aliis corrupta offenduntur. Vetustatem suam e remotissimis adeo fontibus derivant Ægyptii, ut vana commenta sua Chronologis omnibus ridenda exponant. Horum alii, ut P. Petavius, B) Dynastias omnes ad meras fabellas amandant; alii immutatas, atque intra angustiores limites contractas recipiunt, ut Eusebius, Africanus, Syncellus, Scaliger; alii tandem partim rejectas, partim recipiunt, ut Marshamus, qui ex 36525. annis, quorum periodo 30. Ægyptiorum Dynastiæ apud Manethonem, & Chronicon Ægyptium a Syncello laudatum continentur, 140. annos admittit, cæteros rejicit.

Quod autem Chronologiæ Ægyptiorum singulare est, cum cæterarum Gentium vetustas brevior sit ea, quæ in Mosaicis Libris continetur, Ægyptiorum longe Mosaicam illam

ex-

A) Diod. Sicul. lib. 15. B) De Doctr. tempo. l. 9. c. 15. & l. 5. c. 17.

excedit, ut proinde supputationem Scripturæ cum Ægyptiaca conciliaturi Septuaginta Interpretes, juxta quorundam Scriptorum opinionem, singulorum Patriarcharum ætatem prorogarint; quæ sane virorum indulgentia, Chronologiam sacram mire deinde miscuit, atque turbavit. Josephus Scaliger cum Africani dispositioni in periodo Dynastiæ Ægypti, quas ille pro libito obtruncat, inhæsisset, A) fatetur tandem alteram sibi periodum Julianam fabricandam esse, ut tres in ea Dynastias Ægyptias collocaret; cum illæ simul junctæ 1336. annis vulgarem periodum excederent. Eusebius, quem Recentiores Ducem sequuntur, nihilo majori, quam Africanus, quem exscribit, fide, ex Dynastiis, quæ sibi commoda essent, adjecit, retraxitque. De Eusebii audacia alte conqueritur Syncellus, quamquam ipse ejus exemplum non imitatus tantum, sed etiam excessisse videtur; quippe qui & annos, & Regum ad libitum excogitata nomina adjecerit, cum interim plura retraxisset; quare in Chronologia Ægyptiorum turbata omnia, & confusa.

Veterum nonnulli, ut ab ea Ægyptiorum antiquitate se se extricarent, Ægyptios annos intra angustiores, quam nostrorum, terminos reducunt. Obtinuisse ab exordio, ut Regum tempora per dies apud Ægyptios supputarentur, tradit Palæphatus in fragmento ex Chronic.

A) Canon. Ifagog. l. 2. pag. 122.

nic. Alexandrin. Ait e, g. post obitum Vulcani ejus filius *Helios* regnasse notatur 4477. diebus, nempe 12. annis 3. mens. 4. diebus. Annis apud ipsos tunc primo sua 12. mensium periodus data est, cum in alias Gentes Ægyptiorum imperium propagaretur. Plinius l. 7. cap. 48. *Quidam Lunæ senio, (annum terminant) ut Ægyptii; itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur.* Hos annos reformasse Pisonem Regem, ait Censorinus de die Natali: *In Ægypto quidem antiquissimum ferunt, annum bimestrem fuisse; post deinde a Pisonē Rege quadrimestrem factum, novissime annum ad 12. menses & dies 5. produxisse.*

Sed annum adeo brevem, atque imperfectum, qualem Scriptores illi testantur, apud Ægyptios obtinuisse vix in animum induxerim; cum Moyses, qui in tota Ægyptiorum scientia instructissimus fuit, ipso fortasse Pisonē Rege, de quo Censorinus, vetustior, annum semper 12. mensium, & menses 30. dierum periodo claudat, sive cum Historias ante diluvium, sive post illud, sive cum res in Ægypto actas, sive alibi describit. 2. A) *Ægyptiis principium anni non Aquarius, ut apud Romanos, sed Cancer; nam prope Cancrum est Sothis, quam Græci Canis sydus dicunt. Neomenia autem est ipsius Sothis ortus, quæ generationis mundi*

a) Porphyr. de Nymph. Antroph. 523. edit. Holl. Vide etiam Solin. Polyhist. c. 35. & Macrob. l. 1. c. 21.

mundi ducit initium. Perfectus itaque annus apud Ægyptios jam inde constabat, cujus primi mensis nomen erat Sothis, antequam huic mensi alterum nomen Thoth, sive Mercurius inderetur; idem autem mensis & anni, & mundi exordium apud eas Gentes constituebatur. Porro non a Mercurio ea obtinuit traditio, sed pene genti cœva habita est; quare semper apud Ægyptios ea anni consuetudo mansit, ut & præcedentis anni finis, & subsequents exordium circa tempus decrementi Nili constitueretur; ad exortum scilicet Canis syderis, juxta Plutarchum, fulgentissimi. *Ipsis apud eos sydus est, quod Ægyptiace Sothis, Græce Astrokuon dicitur, quod in reliqua etiam sydera regnare videtur.* A) Itaque si Thoth sive Mercurius Ægyptius Moysis ætate recentior est, juxta ac nonnullis Chronologis visum, auctorem illum anni 365. dierum non est quod habeamus, cum ejusdem anni ratio in Ægypto ante Moysem ipsum obtineret.

Non est igitur cur magnopere fidei Sacerdotum Thebarum deferamus, qui vetustatem Gentis suæ supra Ægyptiacam efferentes, asserabant, Mercurium sive Thoth annum civilem ad Solis revolutionem reformasse, atque inde ejusdem anni primum mensem de viri illius nomine appellatum. B) Facile tamen Mer-
cu-

A) De Iside. Ἀΐδοκὺων. B) Diod. Sicul. Bibl. l. 1. Strab. l. 17.

curius Ægyptiacum annum ad aliquos sacros usus accommodavit; singulos scilicet duodecim menses totidem Deorum patrocínio attribuens; sicut & magni anni 36525. periodum excogitavit. Hujus periodi Mercurium Authorem fuisse Jamblichus A) ex Manethone testatur. Ad Numina singulis mensibus præposita quod spectat, refert Strabo lib. II. Sacerdotes Thebanos omnem directi pro sacris usibus anni honorem ad Thoth retulisse.

Hanc a Mercurio inventam B) rationem adeo religiose Sacerdotes deinde observarunt, ut intercalarem diem singulis quadrienniis adjici, quanquam opportunum videretur, non sustinerent; quare annus sacer a civili exorbitabat, nunquam certa Festis eorum sede manente. Tandem ut ambo illi anni inter se ad idem punctum redigerentur, 1461. annorum civilium spatium decurrendum erat, intra quod 1460. anni sacri absolverentur; cum in 1461. annis civilibus 365. dies intercalares recurrant. Porro periodus illa magnus annus Ægyptiacus appellatur; isque annus per 25. multiplicatus, juxta lunarem cyclum, alteram conficit periodum 36525. annorum, de qua supra.

Ad quinque illos dies, postremo mensi apud Ægyptios adjectos quod spectat, ejus rei Authorem determinare difficile arbitramur. Thebani Sacerdotes ejus rei gloriam Thoth vindicant;

Calmet Dissert. T. I.

Q

cant;

A) De Myst. Ægypt. de Diis. B) Geminianus.

cant; Cenforinus Regi Pisoni; Eusebius *Aseth* Isaaco suppari, juxta eundem, vel Josue coævo, juxta Marshamum. Hæc scriptorum discrepantia frustra aliter conciliaretur, nisi si ex *Pison*, & *Aseth*, unus idemque vir constituitur; simulque dicatur Mercurius redigendi anni civilis tantum, ad certum quemdam religionis & cæremoniarum usum, Author fuisse Marshamus sec. II. pag. 310. demonstrat, primum mensem Thoth, juxta Cenforini supputationem, cum anno 3392. periodi Julianæ concurrere, quod, juxta Ufferii calculum, judicum imperio labenti respondet. His semel admissis, illud continuo sequitur, Moysis ætate diem intercalarem singulis quadrienniis, & facile etiam quinque dies postremo mensi adjectos nondum obtinuisse; quanquam & menses eo tempore 30. diebus constituisse, & annos ad cursum solis ordinatos, vix est quod dubitemus.

Annus apud Ægyptios ab autumno exordiebatur; ita enim Horus Ægyptius a Macrobio loquens inducitur: *Explicitis duodecim mensibus, id est 360. diebus, reliquos quinque dies inter Augustum atque Septembrem anno suo reddunt*, A) quæ veteri Gentis persuasioni de exordio Mundi ab autumno Consentanea fuisse fatis constat: *quod tempus Sacerdotes natalem*

A) Macrobius Saturnalia. l. I. fol. 328. Edit. Aldi. Vide Cenfor. de die nat. c. 18.

zalem mundi judicaverunt, id est tertium decimum Calend. Aug. A) Singulis Zodiaci signis eundem, quem prius ab ipsis mundi crepundiis habuerant, peculiarem Deum asserabant. Soli Leo assignatus est, B) Mercurio Virgo, Veneri Libra, Marti Scorpius, Jovi Sagittarius, Saturno Capre; *sic factum est, ut singuli eorum signorum Domini esse dicantur, in quibus, cum Mundus nasceretur, fuisse creduntur.* Legendus Cicero de Nat. Deor. l. 2. Lanctan. Divin. Instit. l. 1. c. 4. Josephus Antiq. l. 1. c. 4. qui postremus Scriptor, de diluvio agens, eam opinionem insinuat.

Tria anni tempora Ægyptii distinguunt; nempe hyemem, ver, & æstatem, quibus præsidens Pallas ab illis *Tritogenia* appellabatur. Vide Commentarium nostrum ad Gen. 8. 22.

Ab omnibus Orientis populis ab ultima antiquitate usitatum est, ut per septimanas dierum, sua facerent commercia, quæ Scaligeri verba sunt. Eodem more homines hodie usque censentur, cum tamen septimanæ exordium varium sit apud varios; Judæis Sabbatum est, Christianis Dominica dies, Gentilibus feria tertia, Mahometanis sexta. Mos autem iste ab Ægyptiis in Græcos, Romanos, cæterasque orbis Gentes derivatus est; qua de re Dio Cassius lib. 38. *Id institutum ab Ægyptiis, haud*

Q 2

ita

ita dudum ad omnes homines dimanavit. Originem vero ad septem Deos refert, quibus singulis Ægyptiorum supersticio singulos septimanæ dies consecravit: sunt autem Saturnus, Sol, Mars, Jupiter, Venus, Mercurius, Luna. Sed hujus rei certiora sunt apud Hebræos, in Historia conditi Mundi, monumenta; quare Dioni, recentius in Orbem invec̄tam consuetudinem affirmanti, nihil est quod credamus. Septimanarum vetustatem fufius ostendit Seldenus de *Jur. Nat. & Gent.* l. 3. c. 19. &c.

Quem potiffimum morem in diebus deducendis Ægyptii fequuti fint, varia est variorum fententia. *Ægyptii & Hypparcus*, ait Plinius l. 2. c. 77. *a media nocte in mediam noctem* ducunt. Alii Chaldæorum rationem, ab exorto fcilicet fole, fecutos malunt; alii meridiem caput diei conftituiffe ex eo colligunt, quod Ptolemæus Ægyptius, infignis eorum Aftronomus, tantundem sæpe præftiterit; alii tandem a vefpera in vefperam ductum ab Ægyptiis diem fuftinent. A) Hæc variorum Scriptorum opiniones Salmafius conciliandas affumens Exercit. Plin. pag. 552. autumavit, Ægyptiorum annum, fibi cæteroqui conftantem, nempe 365. dierum & 6. horarum, non ab eodem femper diei naturalis articulo exordium duxiffe; modo enim in mediam noctem cadebat, fuc-

A) Alex. ab Alex. l. 4. c. 20. Genial. dier.

succedenti vero anno sex horis post mediam noctem retrahebatur; quæ autem anni caput, eadem, & reliquorum anni dierum prima hora habita est.

Maluerim ego, variatæ successu temporis apud Ægyptios consuetudini totam rem adscribere; facile enim, antequam Persæ & Chaldæi regionem haberent, dies suos Ægyptii ad duas vespers ducebant, pro more finitimarum Gentium, uti Arabum, Lybicorum, & Judæorum. Sed inducto Genti jugo, primo a Chaldæis sub Nabuchodonosore, dein a Persis sub Cambyse, victorum moribus, ad Babyloniorum rationes dies suos reformantes, assueverunt. Tandem sub Alexandro Magno, & Ptolemæis, iterum avita temporis dirigendi consuetudo postliminii jure rediit. Facile tamen Plinii ætate, ducendi a media nocte diei morem a Romanis acceperant. Ptolemæus vero diem a meridie exorditur, qua in re non morem regionis, sed Astronomorum, & Mathematicorum sequutus est.

Diei per horas divisio in Ægypto prius, quam in reliquis orbis regionibus obtinuisse, vel ex ipso horarum nomine discimus; *hora* enim est ab *Horo*, quod Solis nomen est apud Ægyptios. Victorinus ex Cicerone narrat, A) Mercurium Trismegistum ex Cynocephalo duodecies in die æquis temporis intervallis

Q 3

min-

A) Macrobius, l. 1. cap. 21. & Pausan.

mingente, pariterque certis diei articulis ululante, horarum divisionem didicisse. Hæc quidem historia, fabellam licet olere videatur, nec aliter forte de Cynocephalo statui oporteat, vetustatem tamen præferret majorem, quam quæ apud alias Gentes occurrat; & Trismegistus ille, cui inventæ rei honor tribuitur, paulo est Moyse recentior, si Eusebio, & Marshamo supputantibus stemus.

Chronologia Chaldæorum.

DE Chaldæorum Chronologia, nisi juncto simul de Assyriorum, Medorum, & Persarum Chronologiis sermone, vix est quod agamus; quare de tribus amplissimis Imperiis, eorum origine, & periodo, uno sermonis contextu nobis loquendum est. In hoc vero argumento incerta esse omnia, atque Græcorum Historicorum errores Cl. Bossuetus in sua Historia universali Par. I. pag. 47. demonstravit. Ita ille: „ Quidquid de primis tribus Imperiis Authorum Græcorum turba scriptis mandaverat, ea plane sapientissimis Græcorum, veluti dubia & incerta, minus probantur. Sacerdotes Ægyptios de rebus vetustis Græcorum ignorantiam relevantes Plato inducit; A) & Aristoteles omnia, quæ de Assyriis narrantur, ad fabellas amandat.

„ Quod

A) In Timæ.

„ Quod enim serius Græci ad scribendum
 „ sese contulissent, vellentque ingenio populi
 „ in res novas arrepti blandiri, factum inde
 „ est, ut accurata consulere monumenta ne-
 „ gligentes, ea tantum avide arriperent, quæ
 „ jucundam magis, quam veram efficerent
 „ narrationem.

„ Ordo plane, quo tria illa Imperia distri-
 „ buuntur, apertæ falsitatis notam præferret;
 „ post sublatum enim Sardanapalum, ejusque
 „ lapsu Imperium Assyriorum eversum, Me-
 „ di in scenam inducuntur, quibus Persæ suc-
 „ cedunt; quasi scilicet totius Assyriæ Mo-
 „ narchiæ hæreditas ad Medos devenisset, at-
 „ que in ipsis Medorum ruinis Imperii sui tro-
 „ phæum erexerint Persæ.

„ Contra tamen accidit, cum Arbaces,
 „ inductis ad defectionem Medis, Assyriorum
 „ & Sardanapali tantummodo jugum excusse-
 „ rit, intacto interim Imperio Assyriæ relicto.
 „ Primus Medorum Rex Dejoces, 50. solidis
 „ post eam defectionem annis, apud Herodo-
 „ tum l. 1. cap. 26. 27. quem peritissimi Chro-
 „ nologi sequuntur, apparet; simulque cla-
 „ rissimi illius Scriptoris, & Xenophontis,
 „ aliorumque testimonio scitum est, florentis
 „ Imperii Medorum tempore, potentissimos
 „ in Assyria Reges per totum late Orientem
 „ nominis sui terrore regnasse, quorum Cy-

„ rus, capta Babylone, Imperium ever-
 „ tit. A)

„ Itaque si vulgo apud Græcos, & Lati-
 „ nos Græcorum fidem sequutos, altum sit
 „ de his Regibus Babyloniæ silentium; si am-
 „ plissimi illius Imperii nulla habeatur ratio in
 „ Monarchiis, constanti successione apud Hi-
 „ storias continuatis; si ne nomina quidem apud
 „ illos florentissimorum Regum Teglatphala-
 „ faris, Salmanasaris, Sennacheribi, Nabucho-
 „ donosoris, de quibus mira in S. Scriptura,
 „ & in Orientalibus Historiis, ejus rei sive
 „ Græcorum ignorantiam in causa fuisse oportet;
 „ sive accuratissima Historiarum Græca-
 „ rum pars nostra ætate excidit.

„ Profecto Herodotus peculiarem de Assy-
 „ riis Historiam promittit, quæ sive temporum
 „ injuria intercudit, sive scribendæ tempus Hi-
 „ storico defuit. Nec sane de Scriptore illo
 „ sapientissimo aliter censendum est; vix enim
 „ alioquin fieri potuisset, ut Reges secundi Im-
 „ perii Assyriorum omitteret; cum maxime
 „ de Sennacheribo, ex illis uno, tanquam de
 „ Rege Assyriorum, & Arabum non sileat.

„ Strabo, qui sub Augusto florebat, nar-
 „ rat Megasthenem veterem Scriptorem, Ale-
 „ xandro fere supparem, de expeditionibus
 „ Nabuchodonosoris Regis Chaldæorum scri-
 „ psisse, quem transgressum Euphratem, in
 Hispa-

A) Herod. l. 1. Xenoph. Cyrop. 5. 6. &c.

„ Hispaniam, & ad Herculis columnas trans-
 „ currisse perhiberet. Apud Ælium occur-
 „ rit Tilganus, Rex Assyriæ, quem ipsum
 „ esse Tilgath vel Teglath Historiæ Sanctæ
 „ nullus dubito; & apud Ptolemæum inter
 „ catalogos Principum, quibus amplissima Im-
 „ peria paruerunt, ordine recensentur qui-
 „ dam Assyriæ Reges, Græcis plane incogni-
 „ ti, & cum Sacra Historia facile conciliandi.

„ Nihil enim, si ea producerem in me-
 „ dium, quæ in Annalibus Syriæ, Berofo,
 „ Abideno, Nicolao Damasceno leguntur.
 „ Horum Authorum fragmenta, auro contra
 „ pensanda, Josephus & Eusebius Cæsarien-
 „ sis seruarunt, quod etiam de pluribus aliis
 „ ab ipsis præstitum est, quorum omnium te-
 „ stimonio Scripturæ autoritas de antiquita-
 „ tibus Orientalibus, & Historiis Assyriis, po-
 „ tissimum confirmatur.

„ Medorum vero Monarchiam, quam
 „ vulgo Historici cum priori continuant, at-
 „ que a Persica distinguunt, Scriptura simul
 „ cum illis jungit. Quæ quidem vera
 „ esse, ex ipso rerum gestarum ordine intelli-
 „ gimus. Medorum ante Cyrum gloria, quan-
 „ quam alioqui Gentis potentissimæ, florenti-
 „ bus Regum Babyloniorum rebus obscuraba-
 „ tur; donec Cyrus, junctis simul Medorum
 „ & Persarum viribus, quos ille populos jure
 „ legitimæ successionis, uti ex Xenophonte

„ constat, regebat, Babylonios sub jugum
 „ misit. Ex his plane novæ Monarchiæ, a
 „ Cyro erectæ, nomen, non a Medis tan-
 „ tum, sed etiam a Persis imponendum con-
 „ stat. Quare Medorum & Persarum Impe-
 „ rium unum erat idemque; quanquam Cyri
 „ gloria Persarum nomen prævaluit.

„ Accidisse etiam facile potuit, Medorum
 „ Reges, susceptis versus Colonias Græcas
 „ Asiæ minoris expeditionibus, nominis sui
 „ gloriam longe lateque apud Græcos prove-
 „ xisse; ex quo per totam Asiam soli imperium
 „ obtinuisse, quippe qui soli noti erant, cre-
 „ diti sunt. Reapse tamen, licet Græcis eo-
 „ rumque Historicis incogniti, Reges Ninive
 „ & Babylonis florentius, quam Medi, impe-
 „ rium habebant. Factum inde, ut totum a
 „ Sardanapalo usque ad Cyrum spatium, unum
 „ Medorum imperium tenuisse vulgaretur.

„ Non est itaque, cur Historiæ prophanz
 „ ac Sacræ conciliandis tantopere laboremus;
 „ ad primum enim Assyriorum Imperium quod
 „ spectat, de illo obiter tantum unum vel al-
 „ terum verbum in Scriptura, nihilque in ea
 „ de Nino Monarchiæ auctore, neque de aliis
 „ post ipsum Regibus, uno excepto Phul,
 „ occurrit; quod eorum Historia nihil habet
 „ cum populo Dei commune. Secundi Im-
 „ perii Assyriorum res a Græcis Scriptoribus
 „ siue prorsus ignoratæ, siue non satis ex-

„ plo-

„ ploratae, cum prioris Imperii Historiis mi-
 „ fcentur.

„ Post hæc, si Græcorum quorundam au-
 „ thoritate opposita, tres illas Monarchias or-
 „ dine sibi successisse quispiam contendat,
 „ huic Græcorum in ea Historiæ parte igno-
 „ rantiam reponimus; qui scilicet non Scri-
 „ pturæ tantum repugnantes, sed etiam sa-
 „ pientissimis Gentis suæ Scriptoribus depre-
 „ henduntur.

„ Quod autem uno verbo scrupulos omnes
 „ evellet, illud est, nimirum Authores sacros
 „ & tempore & loco ad Monarchias illas Ori-
 „ entis præ aliis accessisse. Historiam insuper
 „ scribebant populi, cujus res cum amplissi-
 „ mis illis Imperiis conjunctissimæ essent; ex
 „ quo fieri poterat, etsi cætera defuissent, ut
 „ illis præ Latinis, & Græcis Historicis fides
 „ addiceretur.

„ Postrema etiam superest de obscurita-
 „ te veterum Historicorum causa dispicienda;
 „ cum enim Reges Orientis plura sibi nomina,
 „ vel, si mavis, titulos, nominis loco usur-
 „ patos, inducere solerent, ac populus no-
 „ mina illa varie redderet, & pro vernacula
 „ singulorum dialecto pronunciaffet; factum
 „ inde, ut vetustissimarum Historiarum res,
 „ quarum nonnisi confusa supererant monu-
 „ menta, portentosa caligine obvolverentur.
 „ Ex nominum enim confusione, res ipsas at-
 „ que

„ que homines turbari, facillime contingit;
 „ uti ex difficultate suum locum assignandi in
 „ Historia Græca tot illis Assueris, colligimus;
 „ quorum tempora quanto Orientalibus ma-
 „ gis, tanto Græcis minus erant explorata.
 „ Quis profecto Cyaxarem ipsum esse Assue-
 „ rum crederet, cujus tamen nomen ex *Kz*
 „ Dominus & *Axare* compositum, statim ad
 „ Assuerum reducendum constat?

Quæcumque tandem fuerit digerendi Mo-
 narchias illas ratio, semper tamen Chronolo-
 gia nutabit, quippe quæ ex his tantummodo
 fontibus deducenda est, sive ex Scriptura ni-
 mirum, sive ab Orientalibus, vel a Græcis,
 & Latinis. Ad Scripturam quod attinet, par-
 tior in illa sermo, quam ut perpetuæ Chrono-
 logiæ ducendæ serviat; de Orientalibus non-
 nisi fragmenta quædam, dubiæ ut plurimum
 fidei, supersunt. Græci, omnium confessio-
 ne, minus eas Historias callent; seriusque ad
 scribendum se conferentes, adeo inter se di-
 screpantes, supputationes & Historias sequun-
 tur, ut eorum testimonio fidere nequaquam
 audeamus. Tandem Latini, Græcos secu-
 ti, nihilo majorem præ illis obtinent authori-
 tatem.

Quid enim Scriptura de Assyriorum Impe-
 rio? De Nembrod, virum fuisse venationi de-
 ditum & violentum narrat, nominis sui terrore
 universum Orientem complevisse; & liberis
 antea

antea hominibus sub jugum missis, Imperii sui sedem construxisse Babelem, sive Babylonem, & in urbes Arach, Achad, & Calanne in terra Sennaar imperasse. Addit deinde virum illum Imperii sui fines, armis in Assyrios illatis, prorogasse, Ninive, Rohobot, Chale, & Resen subactis. Has Urbes vulgo interpretes ab Assur conditas arbitrantur; sed & omnium Confessione constat, illas non diu post sive Nembrod, sive alium post illum, Regem jure armorum occupasse duobus Regnis in unum Regnum conciliatis. Hinc Ctesias, & Diodorus Siculus uni eidemque Domino Urbes Ninive & Babylonis ab initio paruisse testantur. Exinde de Regibus Assyriæ a) altum est in Scriptura, usque ad Ezechiaë tempora, silentium. b) Sub Ezechia igitur Merodach filius Baladan, Rex Babel, missis ad Regem nunciis, de prodigio, quo Ezechiaë valetudo cœlitus fuit demonstrata, quæsit. Dein potentissimi Assyriæ Reges, labentibus Regni Israëlitici annis, in Scriptura inducuntur, uti Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, & Assaradon. Ex quibus satis intelligimus, potentissimos regnasse Babylone Principes Ezechiaë ætate; quibus etiam recentior est Nabuchodonosor, in Libris Sacris notissimus. Ad Reges Medos quod attinet, ne verbum quidem

a) Vide Gen. 14. 1. ubi de Rege Babylonis nomine Amraphel.
 b) Reg. 20. 11. 12. 22. Paral. 32. 31.

dem de illis, quamquam alioqui florentissimum ea ætate habuisse illos Imperium oportet, si prophanis Authoribus fides sit, penes quos vicissim altum de Assyriis, & Babylonis silentium. Quamquam, ut vera fatear, apud Authores nonnullos casu aliquid excidit de postremis istis Regibus, obscurius tamen, nec magnæ de illis ideæ ingerendæ aptum.

Conferantur itaque modo ea, quæ in Historia prophana memoriæ prodita sunt, de ortu & progressu, amplitudine & fortunis Imperii Assyriorum; conferantur, inquam, cum iis, quæ de eodem argumento in Scriptura traduntur; statimque vel prophani illi fabulosa narrasse convinentur; vel saltem de alio Imperio, seu alio ejusdem Imperii exordio, quam cujus Gen. 10. 10. 11. sermo fuerit, loquutos dicemus; ex quo conciliandi duas illas Historias provinciam arduam, & humanas excedentem vires nemo prudens dubitaverit. Nec feliciori conatu Historia prophana secum ipsa constaret; si enim Ctesisæ testimonio stemus, A) statim Herodotum rejiciamus oportet; B) admissio vero Herodoto reliquos Historicos diuturniorem Assyriis Monarchiam, quam Herodotus, constituentes, habebimus adversarios; neque enim nisi post Chaldæorum, & Arabum
Im-

A) Imperium Assyriorum 1300. annis stetit, juxta Ctesiam.
B) Herodotus intra 520. annorum periodum illud concludit. Ctesisæ Diodorus & Justinus inhærent.

Imperium, de quibus ne verbum quidem apud alios, Assyrios collocat Herodotus.

Maneat igitur fixum certumque, Assyrios altius repetiisse Imperium, quam quod Herodotus concedit; nempe 100. a diluvio anni excurrerant, cum Nembrode ejusdem Monarchiæ fundamenta jecit, uti ex Scriptura intelligimus. Ejus tamen Imperii primordia angustiora fuerant, quam ut ab Historicis memoriæ proditum sit. Hujus rei monumenta ex Scriptura ipsa producimus; quamquam enim de Assyriorum Regno ex professo non agit, quæ tamen de Regibus in viciniis Babylonix narrat, tenuiores fuisse Imperii illius res satis indicant. Abrahami ætate Gen. 14. Amraphel Babylonis Rex, Codorlahomorem Regem Elam in expeditione Sodomæ una cum cæteris fœderatis Regibus secutus est, quem sane Regem Elam potentiorẽ præ Amraphel fuisse, facile credimus; quippe qui Reges haberet usque in Pælestina vectigales. Sub Judicibus, Cusan Rex Mesopotamiæ Israëlitas sub jugum misit Judic. 3. 8. dein succedente tempore iterum relevatos, Eglon Rex Moab oppressit Judic. 2. 12. 13. quod etiam factum deinde sub Jabin Rege Chanaan Judic. 4. 1. Madianitis, Moabitis, & Philistæis variis temporibus, & eventibus populus serviit. David bellum intulit in Hadazer Regem Soba, cujus Regnum in Orientali plaga ad Euphratem, in Occidentali ad Damascuscum

scum usque prorigebatur. In omnibus illis Historiis Reges Assyriæ nunquam prodeunt, nihil his bellis tanguntur, nihil rebus suis prospiciant, quamquam alioqui in ipsis eorum finibus bellum sit gestum; non ea igitur potentia florebant, quam Græci Scriptores comminiscuntur.

Post hæc omnia, aperte satis constare arbitrator, systema illud Chronologicum, quod ex Historicorum fide hucusque sancitum est, nihil habere certi, in iis maxime, quæ Historiam Assyriorum, & Medorum tangunt. Quemadmodum in iis, quæ ad Cyri crepundia, & Monarchiam Persarum pertinent, omnia a nostris misceri, atque opposita plane multa Danielis Prophetiæ asseri, dum conciliare Danielem cum Xenophonte conantur, in Præfatione ad Danielem demonstrabimus. Quare hac de re nihil peculiarius impræsentiarum attingam.

Cum Astronomicæ scientiæ fama Chaldæi semper claruerint, loco Magistrorum in scientia temporum a Græcis habiti sunt. Astronomicæ eorum observationes vetustatis nomine, dum Alexander Asiam subigeret, celebrabantur, quas tamen, ut fere fit, in majus fama provexerat. Annorum 472000. vetustatem jactitasse illos Diodorus lib. 2. testatur; ad 470000. redigit Cicero de Divin. lib. 1. ad 720000. Epigenes apud Plinium; A) sed & hæc

A) Plin. lib. 6. cap. 5. 6. In impressis legitur tantum 720. sed contextus sermonis legendum demonstrat 720000.

hæc multo veritatem excedunt, & Cicero vanitatem atque jactantiam Chaldæorum multis exaggerat. Aristoteles veritatem comperturus, Callisthenem rogavit, ut quæ certiora hac de re investigare posset Babylone, ea ad se transmitteret; renunciavit autem Callisthenes A) ab exordio Monarchiæ usque ad Alexandrum Magnum 1903. annorum observationes.

Hæc annorum summa, si cum Scriptura conferatur, ad tempus constructæ Babelicæ turris, atque initi Regni a Nembrod, Monarchiæ Assyriorum Authore, deducimus; ex quo illud assequimur, jam inde ab ea ætate Chaldæorum annos 12. mensibus, seu 365. diebus constitisse: nec aliam facile extitisse ab ipso mundi exordio ejusdem anni digerendi rationem; vix enim fieri potuisse credimus, morem illum Nembrod Babylonici Imperii Authorem ab alio, quam a primo homine, ejus Regionis incola, didicisse. Hinc constans semper Chaldæi anni ratio fuit, cum alioqui apud reliquas Gentes omnes nunquam non variaret.

Apud Chaldæos, Babylonios, Perias, Syros diei caput Sol exoriens (quem etiam Divino honore colebant) constituebatur. Horarum consuetudinem, omnium consensu apud illos vetustissimam, an Chaldæi ante Ægyptios acceperint, incertum. Sane, quam Ægyptii assignant, hujus inveci moris causa fabellam

Cabnet Dissert. T. I.

R

sub-

A) Apud Simplic. l. 3. de Cælo.

fubolet, atque a Babyloniis, non ab Ægyptiis investas in Græciam horas constat. Græci, ait Herodotus, l. 2. c. 109. polum, horologia folaria, & 12. diei partes a Babyloniis acceperunt. In Chaldæo Danielis 4. 16. occurrit vox *שעב* *Scaeb*, quam Vulgata reddit *bora*: *Cæpit cogitare quasi una bora &c.* ex quo horarum apud Chaldæos vetustatem intelligimus. Horarum etiam meminit Vulgata in Tobia 11. 14. qui sub Chaldæorum Imperio, & in eorum ditione scribebat. *Sustinuit quasi dimidiam fere horam*; & cap. 12. 22. *prostrati per horas tres*; sed nihil simile in Græco legitur.

Chronologia Græcorum.

Quanquam vetustatis, eruditionis, atque studii Historiarum gloria cæteris per Orbem gentibus Græci præstiterunt, spissis tamen illi, si alii unquam, tenebris de veris Gentis suæ antiquitatibus tenentur. Quæ ad Gentis originem spectant, ea in lucem producere ad Gen. 10. conati sumus; modo de Chronologia & tempore Historico extricandis pauca. Quæ de rebus ante diluvium Ogygis gesta feruntur, ea tanquam meras putasque fabellas, vel sublestæ fidei Historias, ipsimet Græci rejiciunt. Quare patriam Historiam sive infra tempus Trojani belli, ut Diodorus Siculus, sive reducum Heraclidorum e Peloponneso,

fo, ut Ephorus Cumanus Socratis auditor in suo de Lacedæmoniis Regibus Commentario, deduxerunt. Hellanicus Lesbius Historiæ suæ Chronologiam digessit ad seriem fœminarum, quæ Junonis sacra operabantur; quarum prima sæculo circiter ante Cecropem initiata est. Julius Africanus Chronologiæ Atheniensis epocham determinavit in diluvio Ogygis, quod sub Phoronæo Rege Argeos, 1020. annis ante primam Olympiadem, contingit. Varro tandem tempus Historicum Græcorum ab Olympiadibus exorditur.

Cave tamen credas, post Olympiades saltem, omnem temporibus determinandis diligentiam Græcos contulisse. Qui enim supersunt vetustissimi eorum Historici, in scriptis suis nihil magis, quam Chronologiam negligentes, sive certas rerum epochas, sive certas annorum successiones omittunt. In eorum censum, Marshamo iudice, referendi Herodotus, Thucydides, Xenophon, qui Historicos quidem, non Chronologos, Olympiadum successione nondum determinata Chronologia, referunt. Est quidem apud illos brevis de Olympiadibus mentio, sed vaga quadam ratione, atque certo earum anno prætermisso.

Nomina vero eorum, qui in Olympiacis certaminibus palmam retulerant, ferius recenseri cœpta sunt; A) idque non dirigendæ Chro-

R 2

nolo-

A) Pausan. Eliac. I. pag. 354.

nologiæ gratia, sed ut æternam nomini gloriam comparaturi, in certamen juvenes accenderentur. Evanoridas quidam, Olympiade 50. plane non vetustior, omnium primus victores Olympicos in catalogum digessit. A) Catalogum certaminum serius ordinavit B) Hippias Eleus, qui tamen opus suum nullo exhibitio monumento probavit. De Hippia quodam sermo est apud Platonem in Hippia; cum Socrate illum colloquentem, atque Olympicis adesse consuetum, inducit; ejus tamen auctoritas in Olympiadum Catalogo ducendo, cum Socrates nonnisi post 95. Olympiadem a Coræbo obierit, magni esse momenti non potest.

Coræbus, omnium primus in Catalogo victorum Olympicorum apparet; neque de aliis ante illum investigari aliquem contigit; vicit autem Coræbus Olympiade 27. & exinde Olympiadum epocha, 108. annis circiter ab institutis per Iphitum ludis, ducitur. Coræbi illius nomen tumulo ejus inscriptum apud posteros mansit; quare de illo quidem constat: de cæteris vero post ipsum res dubitatione non vacat; cum Daicles, qui sextus post Corobæum ponitur, post Iphitum, a quo Olympiade septima coronam victoris accepit, recensendus sit.

Olym-

A) Idem Eliac. I. pag. 538. apud Marsham, sec. 16. B) Plat. in Num.

Olympiadum vero successione, ut Historiæ ferviret, Timæus primus Author perhibetur; florebat sub Ptolemæo Philadelpho. Post ipsum, Eratosthenem, & Polybium Græcorum Scriptorum, qui Olympiades in Chronologia adhiberent, vetustissimum, eandem methodum secutos scimus; Polybius autem Historiam Timæi continuavit.

Post hæc omnia, si Græcorum Chronologia & Historia dubiæ sit fidei, quis jure miretur, cum tempus primarum Olympiadum, quæ totius Chronologiæ robur habentur, obscura caligine obvolvatur? Porro Olympiadum tres epochæ distingui possunt; prima ab institutis per Atreum, filium Pelopis, ludis in funere Patris sui; in his vero victor renunciatus est Hercules A) an. 346. juxta Velleji supputationem, B) ante restitutos eosdem ludos ab Iphito, Lycurgo, & Cleosthene; secunda, in restitutis illis Authoribus ludis, ex quibus usque ad primam Chronologistarum Olympiadem, victoria Coræbi insignem, spatium 180. an. intercedit. Quare vera Olympiadum epocha ultra 400. annis vulgarem præcedit. S. Clemens Alexandrinus 427. Eusebius 430. Syncellus 600. annos inter eas numerat.

Condita etiam duo regna Argi, & Sycionis in Peloponneso geminæ sunt epochæ in Historia

R 3

ria

A) An Hercules filius Jovis & Alcmenæ, vel aliter Hercules inter Daçylos Idæ? B) Vellejus Patere, lib. 1.

ria Græcorum celebratissimæ ; in quibus tamen fabellas quam plures & incerta omnia Mars-hamus ostendit. Primus Argivorum Rex Phoroneus, filius Inachi, a Pausania lib. 2. constituitur ; Inachum vero non viri nomen, sed amnis esse tradit. Anticlides de eodem Phoroneo testatur, Regum Græcorum vetustissimum illum fuisse ; A) quin & omnium hominum primum Phoroneum Argivum Acusilas appellat ; hic tandem mortalium parens a Phoronide Poëta dictus est. B) Phoroneus etiam, & Niobe in tota Græcia vetustissimi Platonis ætate habebantur ; c) quare nihil supra Inachum, ejusque filium Phoroneum, Reges Argivorum, in Historia Græca referri, Syncellus est Author.

Quæ cum ita sint, Regum Sycioniorum in Urbe Telchinia, dein Sycione dicta, regnantium Catalogus fidei est sublestæ ; si enim nullum in Græcia Regnum vetustate Argivum superat, Sycionis Reges omnes 200. an. successionem deducti, Argivis vetustiores, fabulosa sunt nomina. In Homero Iliad. B. V. 572. Adra-ftus primus Rex Sycionis occurrit.

Adra-fti nomen legitur in marmore Arundelliano ad annum Atticum 325. Exinde tantum Regum Sycionis vetustas repeti potest ; qui plane Reges, belli Trojani tempore, Ar-
givo-

A) Plin. l. 7. c. 56. B) Clem. Alex. Strom. 1. c) In Timæo.

givorum Regibus parebant. A) Dionysius Halycarnassæus lib. 1. numerum determinat generationum, quarum spatio Pelasgi Peloponnesum, & Thessaliam habuerunt; sed earum generationum tempus incertum, & indeterminatum, incertum etiam relinquit, quanto temporis spatio Pelasgi eas regiones tenuerint.

Qui autem fieri posset, ut Historia, & Chronologia Græca certum aliquid haberent, quam impares inæqualesque anni dirigunt? Erant quibus singuli quadrimestres annum constituerent; B) anni apud Arcades in mensem unicum, deinde in trimestrem, nempe in singula anni tempora durabant; apud incolas Cariæ, & Acarnaniæ interdum annus mense determinabatur, semestri interdum; quanquam Homeri ætate Græcorum annus ad mensuram 12. mensium lunarium facile redactus videtur.

Solon, referente Plutarcho in Solone, Lunarium mensium inæqualitate animadversa, simulque lunam cum sole non semper in idem Cæli punctum convenire intelligens, illam diei partem, quæ solis ac lunæ congressum præcedit, elapso mensi, reliquam vero ineunti tribuendam censuit; quare post eam conjunctionem succedens dies Neomenia, sive prima dies mensis, appellabatur. Factum inde, ut singulis mensibus 30. solidi dies, anno vero 360.

R 4

assigna-

A) Vide Marsham. B) Censor. de die natal.

assignarentur. Porro hæc in verbis Solonis ad Cræsum apud Herodotum l. 1. c. 32. & in ænigmate anni Authore Cleobulo, viro inter septem sapientes, apparent: hoc autem ænigma: uni parenti duodecim sunt filii, quibus singulis 30. infantes, colore, & forma varii, nati sunt, alii nempe albentes, nigricantes alii, immortales singuli, quotidie licet decedant.

Atheniensium annus neque lunaris maxime, neque solaris erat, cum enim solaris 365. diebus, & 5. horis constet, Atheniensis 360. clauderetur; quare lunarem 354. dierum excederet. Itaque cum Macrobius & Solinus Græcorum annum lunarem dicunt, ita intelligendi sunt, quasi scilicet in dirigendis mensibus, & annis, Lunæ potius, quam Solis ratio a Græcis haberetur. Solonis ætate singulis bienniis intercalaris mensis recurrebat, annumque intercalarem *Trieteridem* appellabant; a) quasi scilicet singulis trienniis mensis ille adderetur: sed quantum ego conjicio, intercalatio illa post reformationem anni, ab eodem Legislatore institutam, abrogata est; cum enim annus 360. dierum periodo clauderetur, singulis bienniis 10. tantum dies, non integer mensis superesse poterat. Ea anni dispositio apud Athenienses diutius obtinuit. Quanquam enim Eudoxius & Plato veram anni redigendi ad cursum solis doctrinam, juxta ac Strabo insinuat,

a) Cenfor. de die natal. c. 18. Herod. l. 1. c. 32. & l. 2. c. 4.

finuat, ab Ægyptiis didicissent; A) attamen avita consuetudo diutius prævaluit, cum Demetrii Phaleræi ætate annus 360. diebus constaret. Huic enim viro *trecentas sexaginta* (Itatuas) *statuere, nondum anno hunc numerum excedente.* B) Quanquam sub idem temporis Callippus annum 365. diebus, & 6. horis dimetitur; c) facile tunc Ægyptiaca in Græciam methodo subrepente. Anno 365. diebus constanti dies intercalaris post quadriennium addebatur; unde *Penteteris* illi nomen inditum, quasi scilicet singulis quinquenniis recurreret. Temporis successu, intercalaris diei methodus non satis difficultatibus omnibus intercessisse visa, cum temporis adhuc alicujus spatium extra anni regulas vagaretur, huic incommodo magni anni Græcorum inventi sunt, uti Methonis 19. annorum, Philolai 59. Calliopi 76. Hipparchi 304.

Apud Achæos exorientes Plejades, ætate ineunte, anni exordium ducebant; Atheniensibus vernal æquinoctium anni caput habebatur; D) dies vero apud illos a vespera in vesperam ducti; annus in quatuor anni tempora distributus, ver, æstatem, autumnum, &

R 5 hye-

A) Strab. l. 17. *Ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, quemadmodum & alia per multa, quousque juniores Astrologi ab iis ea acceperunt, qui Sacerdotum monumenta in Græcam linguam transtulerunt.* B) Plin. l. 34. cap. 6. c) Censor c. 19.

D) *Arcticus occasum spectat, Babylonius ortum, Nox media Ausoniis, media at Lux perplacet Umbris.*

hyemem. Horarum diei ratio Homeri ætate nulla erat, A) cum noctem ille, diemque in tres partes distribuat, atque in die Auroræ tantum, sive mane, meridie, & vesperarum meminert. B)

Diem per horas dimetiendi morem e Babylonis didicisse Anaximenem & Anaximandrum supra innuimus: *Anaximander primus gnomonem invenit, & Lacedæmone statuit in loco captandæ umbræ idoneo, qui & Solis conversiones, & æquinoctia notaret.* C) Mentio est quidem apud Homerum de horis, quas ille præ foribus Cæli assistere dicit; sed eo nomine, pro more apud Græcos veteres recepto, anni tempora appellantur. Apud Latinos Hora inter Deas censetur, cui vir adjectus est Quirinus. Ovidius.

Horamque vocat, quæ nunc Dea juncta Quirino.

Huic munus foribus Cæli assistendi cum Jano tribuitur.

Præsideo foribus Cæli, cum mitibus Horis.

Hora sive *Herfilia* unica prius erat, & singularis Dea; nomen deinde tribus communicatum est, quanquam & peculiare tribus illis Horis nomen esset, videlicet *Eunomia*, *Dice*, *Irene*. D)

*Et Jovis & Themidos Horæ de semine nata,
Eunomia, atque Dice, atque Irene dives.*

Porro

A) Iliad. K. B) Iliad. Ph. C) Laërtius ex Phavorino. D) Hesiod. Theogon.

Porro tres illæ Divæ, tres anni partes designant, ver, æstatem, & hyemem; dein temporis successu, cum diem etiam in quinque partes distingui contigisset, Numina Horarum ad quinque creverunt, eademque occasione annus in quinque tempora sectus est. Tandem duodecim horæ totum diei spatium diviserunt, pro quarum numero & religio est aucta. Porro ea superstitio multo vetustior apud Græcos, quam apud Latinos fuit. Porphyrius apud Eusebium Præp. l. 3. c. 11. duo horarum genera distinguit, cœlestium nempe, & terrestrium; illas Jovis servitiis, atque Cœli ostiarias; has vero in satellitium Cereris collocat, canistros illi alios floribus plenos, veris emblemata, alios spicis, ætatis indicium exhibentes constituit. Post inventa horologia veteri nomine horarum abolito, signa appellata sunt; quæ scilicet stasis intervallis in horologiis solaribus distributa, horas designabant.

Chronologia Latinorum.

Veterum Italiæ incolarum Historia adeo spissa caligine obvolvitur, ut veterum, atque recentiorum Scriptorum sedulas inquisitiones prorsus fugerit. Ipsa Urbis Romæ origo, & primorum illius Urbis Regum Chronologia adeo in incerto versatur, ut quam potissimum ineamus viam, ancipites hæreamus. Si Agatoclem

toctem Cyzicenum, Strabonem, & Cluverium audiamus, Æneam in Italia nemo vidit unquam; nulli *Numitoris* nepotes, Romulus, & Remus appellati; ac veri Urbis Romæ conditores Arcades illi habendi sunt, qui in Italiam ab Evandro adducti, ad ripas Tiberis subsisterunt. Conditæ etiam Urbis tempus, non minus quam Conditor ipse, latet; cujus rei in causa fuisse constat, quod nullus apud Romanos Scriptor vetustus unquam, sive Historiam, sive fabulam scripsit, uti Dionysius Halycarnassæus, sedulus præ omnibus antiquitatum Romanarum indagator, animadvertit lib. 1. Conditæ Urbis Historia indagari diligentius cœpta est sub M. Porcio Catone, qui sub an. 559. V. C. consulatum gessit. Cato vero epocham illam in anno 432. post Trojam captam constituit. Cum tamen ejus expeditionis tempus, ad primam Olympiadem relatum, non usque adeo exploratum sit; nihilo proinde doctiores ex ejus labore circa tempus conditæ Urbis effimur. Hanc igitur alii 384. annis post everfam Trojam constituunt, nempe 38. annis ante primam Olympiadem, vel quarto anno primæ Olympiadis, vel tertio, sive quarto secundæ, sive tertio sextæ, aut primo, vel secundo septimæ, & citius etiam seriusve; nihil enim in ea re certi.

Redigendi anni regula una eademque apud omnes æque Italiæ populos non obtinebat;

A) apud

A) apud Lavinos annus 374. dierum; apud Umbros 14. mensium erat. Romulus intra 10. mensium periodum annum clausit; B) eundemque morem Albani secuti sunt. Ita annus 300. diebus constabat; cui initium in Martio, exitus in Decembri. Numa Pompilius ad 12. menses, nempe 35. dies prorogavit; quamquam Junius, apud Cenforinum, hujus reformationis honorem (in qua duo menses Januarius, & Februarius cæteris adjecti sunt) Tarquinio Regi vindicat. Visum est etiam intercalarem diem singulis bienniis Februario adjicere, ut scilicet civilis annus ad naturalem reduceretur. Ea ratione incommodo nequicquam occursum est; quare injunctum Sacerdotibus, ut quos opportunos judicarent, intercalares dies assignarent. Incuria tamen & inscitia Sacerdotum factum est, ut anni ratione male successu temporis turbata, Julius Cæsar ipse per se nova anni reformatione suscepta, annum ad 365. dies, & 6. horas reduceret, assignata singulis quadrienniis die intercalari; hinc anno ad regulas Ægyptias conformato, nomen inditum, annus Julianus.

Olim apud Romanos anni caput in Martio, dein in Januario constitutum. c) Quod autem

A) Cenforinus. B) Ovid.

Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem,

Hic numerus magno tunc in honore fuit.

c) Alex. ab Alex. Genial. dier. cap. 24.

autem in Januario Sol ad nos regrediatur, ideo Ovidius.

Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Novi Magistratus Provinciam a Januario non semper iniverunt. Coss. P. Ebutio, & Q. Servilio, Republicæ servitiis addicti, Kalendis Augusti; sub Decemviris, Idibus Maji; dein usque ad secundum bellum Punicum, Idibus Decembris inaugurabantur; exinde dies destinata Magistratibus Idibus Martii. Quamquam cum Præfectis subinde consuetudo variavit, modo Provinciam ineuntibus Kalendis Julii, modo Octobris; tandem sub Augusto Kalendæ Januarii in eam rem destinatæ sunt. Sub Nerone, Imperatori illiberaliter assentante Senatu, novi Magistratus ad Decembrem remissi sunt, quo scilicet Principis natalis dies honoris accessione celebraretur. In rebus religionis disciplina stabiliior mansit, cum prima semper Martii dies, anni Romulei exordium, innovandis Laureis corollis ad Fasces Consulis, & ante fores Regis Sacrificuli, Sacerdotum Jovis, & Vestalium celebris haberetur. Ea etiam dies Vestalibus perpetuo Sacroque igni incendendo, quem illæ ignem curabant, sacra fuit.

Inconstans etiam apud Italos mensium ratio; Albani enim 36. dies Martio assignabant, 12. Majo, 28. Augusto, 16. Septembri; Tusculani 36. Julio, 32. Octobri; Aricii 39. Octobri.

Mar-

Martius, olim anni ineuntis caput, post reformationem Numæ tertius anni mensis: ut apud Albanos, effectus est. Apud Sabinos & Pelignos (Aprutii citerioris populos) idem mensis quartus erat in anno; apud Laurentes, & Phaliscos quintus; apud Hernicos sextus; apud Æquiculus decimus. Ovid. Fest. l. 13.

Quod si forte vacat, peregrinos inspicite fastos.

Mensis in his etiam nomine Martis erit.

Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis.

Sextus apud populos Hernica terra tuos.

Inter Aricinos Albanaque tempora constat,

Factaque Telegoni mœnia celsa manu.

Quintum Laurentes, bis quintum Æquiculus acer.

A tribus hunc primum turba forensis habet.

Ut mensium nomina sæpe immutarentur, assentatio non raro fuit in causa; ita *Quintili* & *Sextili* mensibus nomen Julii, & Augusti factum est; ex Aprili redditus Nero; ex Majo Claudius; ex Octobri Domitianus; ac tandem Tacitus e Septembri. Commodi nomen ab assentatoribus quibusdam mensi Augusto inditum; tum & Herculem de Septembri, Invincibilem de Octobri fecerunt; ita & Novembrem Exuperatorium appellari, Decembri Amasonium contigit. Brevi tamen priscum singularis nomen, Julio & Augusto exceptis, redditum est. Anni tempora Romanis quinque fuerunt, ver, autumnus, æstas, hyems, & solstitium hyemale, sive cum dies brevissimi sunt:

Bruma.

Septi-

Septimanæ apud illos ignotæ, solitos in tres partes menses dimetiri; Kalendas, Nonas, & Idus.

Kalendæ in primam singulorum mensium diem recurrebant. Mensium Martii, Maji, Julii, Octobris sex priores dies, ad Nonas pertinebant, cum menses reliqui quatuor tantum dies Nonis permitterent. Inter Nonas & Idus constans 8. dierum spatium erat; post Idus omnia ad Kalendas succedentis mensis referebantur.

Mos erat Aufoniis, vetustis Italiæ populis, a quibus in Romanos derivatus, ut diei terminos duas medias noctes constituerent; meridies in eum usum ab Umbris & Etruscis assignata. Serius horæ invaluerunt, cum nulla de illis mentio in Lege 12. tabularum, juxta Censorinum, occurrat; quare 300. annorum spatio horæ a Romano solo absentes sunt. Dies itaque apud illos, sicut & noctes in quatuor distributæ partes, horarum defectum supplebant; quin & horis demum, clepsydris, atque horologiis introductis, vetus tamen noctis in quatuor vigiliis divisio in castris mansit. Neque incognita Romanis consuetudo, horis scilicet 12. inæqualibus diem ab aurora in vesperras, & noctem a vesperris in mane dimetiendi.

Pro varia enim diei noctiumque ratione, modo dies excedentibus noctibus, modo noctes diebus, diurnæ præ nocturnis horis, & vicissim

vicissim prorogabantur. Ita vero elaborata veterum horologia ferunt, a) ut horarum varietatem constanti semper fide monstrarent, adeo ut sexta semper hora in horologiis meridiano Soli responderet. Hujus inventionis honor Anaximeni Milesio, juxta ac supra innuimus, tribuitur.

Horologia solaria, ex quo potissimum Romæ cœperint, incertum; illud tamen constat, publica ex Sicilia translata M. Valerium primum constituisse; cum autem, pro Sicilia fabricata Romano polo male congruere deprehenderentur, L. Philippus alterum ponendam curavit. P. Corn. Nasica clepsydram constituit, qua dilabentes ad mensuram aquæ, cum potissimum nocte subeunte, sive deficiente sole horologia solaria deessent, horas monstrarent. Exinde Clepsydræ, rudes primum, exactiores in dies constructæ sunt.

Chronologia Hebræorum.

CUM ad Hebræorum Chronologiam illustrandam nostra potissimum studia ferantur, ea quæ in antecessum digessimus, omnia tanquam ad illam præludia reputanda sunt. Porro de Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum nihil ad nos, nisi si quid illis cum S. Scriptura.

Calmet Dissert. T. I.

S

He-

a) Alex. ab Alex. Genial. diæ. l. 4. c. 20.

Hebræorum populus, seorsim a cæteris per Orbem Gentibus spectatus, vetustate originis suæ certa documentorum fide asserta plurimum præstat. Primos enim Gentis Scriptores (ut nihil de superno afflatu dicamus) in ea vixisse Regione constat, in qua rerum ab exordio Mundi gestarum traditio, quam alibi uspiam, in- corruptior manserat: Chaldæi scilicet vetustatum suarum & Astronomiæ studiosissimi habiti sunt; nec parum illis instruendis primorum totius Orbis hominum consuetudo, quorum apud illos sedes, contulerat.

Abraham 75. annis ibidem immoratus est; qui sane vir Patriarchas ante diluvium, quibus cum primis illis hominibus consuetudo, auscultasse potuit. Isaac filius Abrahami, Rebecca femina religiosam, in eadem natam Regione duxit; natusque ex ea Jacob in Mesopotamiam veniens, omnia, quæ a patre suo didicerat, Regionis traditione altius impressit. Inde in Ægyptum Jacob descendens, ipse una & familia universa ab incolis discretos semper & sedibus & consuetudine se se continuerunt, factam sibi a Josepho spem visitationis, & liberationis populi mente versantes: Gen. 50. 23. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iuravit Abraham, Isaac, & Jacob.* In hanc autem spem erecti Israëlitiæ, nihil habebant antiquius, quam ut filios suos de rebus a Patriarchis

chis gestis, eorum ætate, & Genealogiis instruerent.

Eodem temporis intervallo Deus sibi virum comparavit, cujus ministerio populum affaretur, & singularium veritatum ad posteros traditio ab incorruptione, & oblivione, jam inter Hebræos gliscente, simplex & integra transmitti posset. Moyses, omni Ægyptiorum sapientia instructus, in traditione Gentis suæ satis versatus, ad hæc superno afflatus spiritu, Patriarcharum omnium ante & post Diluvium ætatem describit, singulari fide & diligentia prosequutus Historiam omnium, quæ sive ad Religionem, sive ad Rempubicam Judæorum, ab exordio Mundi ad suam usque ætatem, pertinerent.

Post Moysen Historiæ series, minus quidem constans, satis tamen ad dirigendam Chronologiam, & Historiam usque ad Cyrum, perseverat. A Cyro usque ad Darium, & a Dario usque ad Macchabæos, Sacra Historia quiescit. Huic autem Chronologiæ illud potissimum commodi accedit, quod Divino testimonio confirmata, omnem ab epochis suis, in Scriptura expressis, suspensionem removeat; quare fixæ in illa epochæ, & certe plures occurrunt: vix autem quidquam in Historia prophana legitur, quod validis in contrarium argumentis non impugnetur.

Historiæ tamen Sacræ & prophanæ consensus, res est in Historiæ Sacræ studio operosissima; simulque arduum monumenta feligere, ad quorum fidem Chronologiã Scripturæ ducatur. Cum enim Hebraica veritas, Versio Septuaginta, ac Textus Samaritanus secum ipsi repugnent, quinam potissimum inter illos feligendus sit, ægre admodum discernitur.

Quod tamen ad conciliationem utriusque Historiæ Sacræ, & prophanæ pertinet, non est, cur res illa magni momenti habeatur; quam enim utramque inter se in omnibus, sive in multis convenire, e re Christiana habetur; si tamen ejus difficultatis pondere pressi deficiamus, totius rei invidia in Historiam prophanam recidet, cui de Divinæ Scripturæ auctoritate præjudicatum est. Studio tamen nostrorum Chronologorum eo res adducta est, ut de fœdere illo tandem conciliando non desperemus.

Illud etiam fateamur oportet, in re Historica, & Chronologica ardua, & repugnantia non semel occurrere, cum ipsæ inter se prophanæ Historiæ repugnent. Quis plane inter se conciliet varios de veteribus Imperiis Scriptores, sicut & de bello Trojano, de expeditione Argonautarum, de primis Græciæ regionis, de vita Cyri &c. Ut autem data proportionem pares in Libris Sacris difficultates occurrere, Deo sic permittente, contigit, ita plures

in illis in speciem repugnantes textus occurrunt, quibus conciliandis omnes ingenii, & scientiæ suæ nervos Commentatores intendunt. Cave tamen credas, de conciliatione utriusque Historiæ negotium actum plane esse, atque rei difficultatem conatus omnes & studium eludere. Inconsulta sane utuntur religione, qui Historiam prophanam eliminandam prorsus, nullumque illi cum Sacra commercium permitendum edicunt: *Actum esset de Chronologia Sacra* (ait Scaliger) *si absque exoticis monumentis foret.* Quod cum sapientissimi Scriptores Tatianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Africanus, Eusebius, aliique animadvertissent, omnino sine exotica Historia intervalla Sacra deprehendi posse desperarunt. Dicatur igitur tumidis buccis & elato supercilio, atrocem injuriam Spiritui S. irrogari, si Historia Sacra ab exotica subsidium petat; quasi illa magna ignominia sit, si Historia exotica Sacræ ancilletur.

Restat, ut de eligendo Textu ad dirigendam Chronologiam agatur; in qua tamen controversia, post assertam a Concilio Tridentino Vulgatæ authoritatem, maxime cum ab Hebræo textu, quo Judæi utuntur, illa non discrepet, nihil est quod ambigamus. Neque nos latet, quantum olim versioni Septuaginta delatum sit, cui veteres Patres fere omnes, & Historici Ecclesiastici accedunt; sed ejus obsequii in causa fuisse credimus, quod eorum ætate Hebraici

textus cognitio rarissima esset, atque versio Græca, originalis loco apud illos haberetur.

Pauca modo de anno Judæorum; in quam rem, ut sine ambagibus procedamus, tempora distinguantur, oportet. Ante Legem eadem anni ratio apud Hebræos, & Ægyptios obtinebat; in Ægypto enim nutritis, vix aliam annorum formam, quam Ægyptiam, nosse potuerat. Moyse Gen. 7. in supputatione temporis, quo Diluvium duravit, anni Hebraici formam ad 365. dies redigendam demonstrat; annum vero 12. Menses, menses 30. dies dimetiebantur; postremus mensis 35. diebus constabat. Nullus apud illos intercalaris mensis, nisi eum post 120. annorum periodum annus 30. solidis diebus exorbitaret; A) in Scriptura tamen nihil de intercalari, sive decimo tertio mense.

Post egressum ex Ægypto, eodem manente anno civili, alter in usum Religionis ad Solares partim, partimque ad Lunares regulas digestus, annus invecus est. Ejus caput in vere; atque primi mensis dies decima quarta (qui nempe mensis septimus erat anni civilis) Paschali solemnitati sacra habebatur. Quæ tamen anni Lunaris forma apud Hebræos, in usum Religionis introducta, nonnisi post Alexandrum Magnum productis argumentis demonstrari potest.

A) Vide Scalig. de emendat. tem. 1. 3.

test. Ex Ecclesiastico A) enim, Macchabæis, Josepho, Philone intelligimus, Græcorum apud Hebræos annum obtinuisse, solarem nempe lunaribus mensibus constantem: B) *Universi Græci annos juxta Solem, menses vero, & dies juxta Lunam agebant.* Paria apud Maimonidem legas: *Menses anni, menses Lunæ; anni autem, quos nos computamus, sunt anni Solis.* S. Joannes in Apocalypsi 11. 2. 3. & 12. 6. 14. & 13. 5. annos & ipse ex Lunaribus mensibus 30. dierum supputat; tres enim annos & dimidium reddere dicit 1260. dies, quot plane reddunt 42. Lunares menses.

Nonnisi post inventum Talmudem, anni Lunarestantum, ope intercalarium mensium singulis trienniis ad Solares redacti, apud Hebræos obtinuerunt. Menses illos intercalares *Ve-Adar*, vel secundos *Adar* appellant. Ad eam normam redigenda sunt, quæ de annis Hebræorum hodie usque apud Rabbinos feruntur. Constat autem annus ille 12. mensibus cavis & plenis, nempe 29. & 30. dierum alternatim. Porro menses illi Lunares, juxta Rabbinos, non congressu solis cum luna, sed ab ipsa lunæ phasi ducebantur. Certi enim viri, inquit, mercede conducebantur, ut e montium vertice ejusdem phasis punctum observarent; me-

S 4

tu

A) Eccli 43. 6. *Luna ostensio temporis, & signum ævi, a Luna signum diei Festi. . . mensis secundum nomen ejus.* B) Gen min. Ifagog. c. 6.

tu vero, ne quid de præcepto festi ineunte mense celebrandi negligeretur, gemini, uti quidem ferunt, dies festi celebrabantur, quorum alterum dies *latentis Lunæ*, alter dies *apparentis Lunæ* appellatus est. Scite admodum observat D. Toinardus Harmon. Evang. not. pag. 154. hæc tantum servari consuevisse in Provinciis, locisque ab Urbe Jerosolyma remotis; quæ enim ad Urbem & loca adjacentia spectabant, præscripto Domus judicii dirigebantur. Opinionem illam suam Rabbini fulciunt textu 1. Reg. 20. 5. alibi a nobis examinando. De viris, quibus certum assignabatur pretium, ut phasim astrorum specularentur, scriptum creditur illud 1. Par. 12. 32. *De filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Israël, Principes ducenti: omnis autem reliqua Tribus eorum judicium sequebatur.*

Anni Civilis Hebræi, & Ægyptii ab autumno periodum auspicabantur; ex quo labentis ætatis, atque collectorum fructuum tempus, exitus sive revolutio anni a Moyse appellatur Exod. 23. 16. & 34. 22. Apud Ezechielem 40. 1. fermo est de ineunte anno civili, quod anni tempus Judæi usque hodie *Roschbaschana* appellant; ducit autem exordium annus a Tizri, qui Septembri respondet. Diluvium cœpisse dicit Josephus Antiq. l. 1. secundo mente anni civilis; quem Macedones Dios,
He-

Hebræi Maresvam appellant (Octobri fere respondet.) Post constitutum a Moyse anni Sacri in mense Nisan caput, pristina ratio civilis anni ab autumno ducendi mansit. Festum Expiationis, quod in diem 10. Tizri incidebat, (Tizri Septembri, & Octobri respondet) institutum creditur in memoriam lapsus Adami; quæ si vera sint, mundus ab autumno cœperat.

Septimanarum tria sunt apud Hebræos genera: 1. quæ 7. annorum periodo constat, anno Sabbatico dein succedente, quo scilicet a terræ cultura feriaretur; 2. annus Jubilæi, 7. annorum septimanas, nempe quadraginta novem annos complectens; 3. tandem septimanæ dierum. Porro Jubilæi annus tantumdem fere apud Hebræos habebatur, ac magnus annus apud Ægyptios; æque autem Civilis erat, & Sacer. Dies a vespera in vesperam agebantur. Moyse civilem diem, binis commemoratis terminis describit: *vespere & mane*; dies enim a vesperis ortus, cum mane, nempe cum die desinebat. Inter sacros civilesque dies distinctio apud Moysen nulla; quare Festis diebus *a vespera in vesperam ductis, a vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra*; eosdem diebus civilibus terminos constituisse oportet. Festa igitur *inter duas vespervas* inibant, sole scilicet in vespervas declinante. Nec Festis tantum indicandis voces illæ a Moyse usurpantur; quin & paribus pro vulgaribus rebus utitur;

ita Deum immiffurum coturnices *inter duas vesp̄as* prænuntiat Exod. 26. 12. quas ipſas aves *veſpere* advolitaturas paulo inferius reperit; hæ igitur phraſes unum idemque tempus designant. Primam ſeptimanæ diem a vesp̄eris inquit *S. Matth. 28. 1. Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati.*

Mos ilte in ſacris Judæorum cæremoniis nunquam abſolutus, ad Chriſtianam Eccleſiam, in qua ſtatim officio tempus *inter duas vesp̄eras* conſtituitur, tranſiit. Veteres, quin etiam populi plures, exordiendi a vesp̄eris diem conſuetudinem ſervarunt, uti Athenienſes, juxta Gellium l. 3. c. 2. Galli, Germani, Numidiæ, Lybiæ incolæ. a) De Gallis enim hæc Cæſar de Bell. Gall. l. 6. *Spatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt; & dies natales, & menſium, & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* De Germanis Tacitus: *nam agendis rebus, ait, hoc (nempe occaſum Solis) auſpicatiſſimum initium credunt, nec dierum numerum, ut nos, ſed noctium computant; ſic conſtituunt, ſic conducunt; nox ducere videtur.* Hujus moris veſtigia in nonnullis veterum Germanorum monumentis ſuperſunt, in quibus tres noctes pro diebus totidem numerantur. Hodie etiam apud Anglos eſt in moribus poſitum, ut ſeptimanam nomine *Sennight*, ad literam *ſeptem noctes*, designent.

a) Apud Nic. Damasc.

gnent. A) In Bohemia finitimisque regionibus, qua Poloniam respiciunt, hodie usque dies & horæ 24. a vespera in vesperam ducuntur. Veteres Poëtæ semper noctem diei præferunt, quod & Moyfes in Genesi observat; & Hesiodus in Theogonia, diem e nocte matre genitum canens, designat. Arabes noctem diei sequenti tribuunt, & dies a nocte incipiunt, ut Petrus a Valle testatur epist. 14.

Requisitus olim Thales Milesius, B) die ne, an nox prior emerfisset, noctem diei præcessisse respondit. In Carminibus Orphei nox hominum & Deorum Matris elogio celebratur.

Thaleti plane oppositam sententiam reposuit Gymnosophista quidam, ab Alexandro Magno pari quæstione pulsatus. Responsum vero admiranti Regi ait Philosophus: Ambigua quærenti, ambigua reponimus. c)

Post Judæam a Romanis subactam, tres apud Hebræos obtinuisse dierum rationes ferunt. 1. Diebus Festis pristinus a vespera in vesperam mos servatus est. 2. Civiles dies, a media nocte ducti parem habebant exitum. 3. Alios in vectos dies a mane in mane contendunt; hi vero dies, inquit, in 12. inæquales horas pro temporum diversitate distributi, eademque in noctibus dividendis servata consuetudo. Hæc a Judæis pro more Græcorum & Romanorum fer-

A) Strauch. Brev. Chronol. B) Apud Laërt. in Thale. C) Plut. in Alex.

servata sunt, quorum sicut jugum, ita & mores subierunt.

Horologia & horarum ratio apud veteres Hebræos nulla apparent. In Moyse mane tantummodo, meridies, vespera, & nihil ultra occurrit. Solis declinantis tempus hac phrasi designat: *inter duas vespervas*; post occasum Solis: *vesperæ*. Alia dividendæ diei ratio in Libris ejus frustra requiritur; noctis spatium in tres partes distinctum legitur, *vesperas*, *mediam noctem*, & *custodiam matutinam.* A)

Sub Ezechia prima horarum mentio occurrit, cum scilicet de Regio solari horologio agitur, in quo styli umbra per gradus quosdam discurrens, horas indicabat. Vide nostrum Comment. in 4. Reg. 20. 11. si quid aliud ante ea tempora de horis apud Septuaginta legatur, nomen illud non diei partibus, sed anni temporibus designandis, eodem, quo apud Homerum & Hesiodum sensu, usurpatum est.

In Novo Test. vigiliæ quatuor totum noctis spatium distinguunt; B) quod ita Romanis moribus acceptum est, ut apud Græcos aliquando obtinuerit. Quanquam non raro pro quatuor tres tantum noctis vigiliæ Græci observabant. Hanc dividendæ noctis rationem omnium vetustissimam esse, supra observavimus. De horis diei 12. sermo est. Joan. 11. 9. & Matth. 20.

34. 5.

A) Exod. 24. 24. Judic. 7. 19. Thre. 2. 16. vide & Psal. 89. & 118. & 148. B) Matth. 14. 25. Marci 6. 48. & 13. 35.

34. 5. ut proinde inæquales diei horas, quales vulgo apud Romanos & Græcos obtinebant, in Judæam quoque invecas intelligamus. Vide nostrum Comment. in Matth. 17. 45.

D I S S E R T A T I O

De veris fictisque prodigiis, ac Dæmonum & Angelorum in corpora potestate.



Nihil in vulgari sermone frequentius, quam de prodigiis, atque bonorum malorumque spirituum per corpus operationibus; nihil est etiam, cujus minus claræ, atque fictæ omnino ideæ, quam de his omnibus rebus suppetunt. Viri quidam acri, ut ipsi quidem censent, ingenio, ac minime trepido, omnia, quæ de Angelorum potestate, & apparitionibus feruntur, sicut & de præstigiis, quibus sensus hominum fallunt, Dæmonum in corpora infestationibus, subitisque tandem per illos aëris, cæterarumque rerum imutationibus; ea, inquam, omnia tanquam vana muliercularum terriculamenta reputantes, qui credulam hisce rebus mentem addixerint, eos pietate & miseratione prosequuntur. Alii contrariis plane studiis exorbitantes, omnes Dæmonum, Magorum, Veneficarum fabellas pro-

probant. Nihil illis in prodigiis, Historiis de apparitionibus Spirituum, atque Dæmonum corpora obsidentium suspectum. Alii tandem, prava sane & noxia spiritus habitudine, quæ de prodigiis, Angelis, Spiritibus &c. feruntur, omnia eo argumento rejiciunt, quod scilicet plura vulgata sint prodigia vel ficta omnino, vel naturalibus quibusdam infuetisque causis, sed latentibus, tribuenda.

Hanc itaque quæstionem occasione eorum, quæ de prodigiis Magorum Pharaonis, de Spiritu Samuelis Sauli exhibito leguntur, nos examinandam assumimus. Quæ ut ordine procedant, dicendum prius a nobis de natura, potestate, atque caractere prodigiorum; dein de Angelorum bonorum malorumque ad prodigia patranda facultate.

Verum prodigium, juxta insitam nobis ideam, res est regulas naturæ consuetas transcendens. Vir super aquas gradiens, in aëra suspensus, ignotas linguas subito callens, virgæ in anguem subito transformatæ verum prodigium referunt. Fictum autem prodigium illud concipimus, quod naturæ leges in speciem tantummodo superat; uti coma subito concepto igne deflagrans, quod pingui aliquo humore forte delibuta esset (uti de coma Juli aliorumque ferunt) ignem illum intactos relinquere crines &c. nullo hæc prodigio fieri potuisse constat; cum in lineo panno vini spiritu imbu-

to,

to, quotidie observemus, ignem, absumpto liquore, linum relinquere. Plura sane huiusmodi similia occurrunt, quibus latens & occulta causa prodigii apud nos famam conciliat.

Scite etiam observat S. Augustinus ea, quae nobis prodigia jure meritoque creduntur, naturalia simul esse, & supra naturam; naturalia quidem, cum eandem Dei voluntatem, in qua tota naturae ratio, habeant authorem; supra naturam vero, quod a consuetis naturae legibus exorbitent. Addit insuper: *Nec a) enim ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.* Et alibi b) *Quomodo est contra naturam, quod Dei sit voluntate, cum voluntas tanti utique Conditoris, conditae cujusque rei natura sit? Portentum ergo fit, non contra naturam, sed contra quam est nota natura.* Satis profecto constat hoc Augustini dictum: *Voluntas Dei est cujusque rei natura*, de rebus tantum naturalibus intelligendum esse; cum alioqui alia sit moralium ratio; quanquam in moralibus aequae ac in physicis omnia possit Deus. Sed in moralibus agenti gratiae non inerti quodam modo obsequitur voluntas hominis, sicuti materia, anima & libertate destituta, Creatori.

Spinosa nunquam prodigia fieri posse demonstraturus, naturae cursum praeverti unquam

a) De Gen. ad lit. l. 6. cap. 13. b) De Civ. D. i l. 29. c. 8.

quam posse, hoc argumento negat: Naturæ Legis ipsissima sunt Dei volentis decreta, quæ si immutari unquam contingeret, ipse immutabilis Deus mutaretur. Stent ergo, ait, ab immoto Deo immotæ naturæ leges, & prodigia, quæ naturæ prævertunt leges, facessant. A)

Hujus Scriptoris de summo Deo sententia eo tendit, ut eodem semper tenore, absoluto, necessario, atque generali agere illum constituat; ex quo illud consequitur, naturæ cursus & effectus, qui a Deo disponente unice pendunt, invariabiles esse & immotos; nec fieri unquam posse, ut illis vel minimo exorbitantibus, de ratione summæ illius Providentiæ, sapientissimæ, immobilis, sibi que semper constantis aliquid non deesset.

Hoc Authoris systema, magnificentum primo aspectu, & Dei, sibi semper constantis, ideam omnem implens; re tamen æquam summi illius liberi, sapientissimi, atque potentissimi ideam penitus destruit. Ejus enim voluntas, quæ fecunditatem potentia metitur, neque ab eventibus pendere, vel rebus ab ipsa productis fervire unquam cogitur; semper quin potius libera, & semper sibi constans, decreta sua solo regit arbitrio. Tempus omne, eventus, rerumque circumstantiæ, motus quin etiam creatæ voluntatis quicumque Divinis ab ævo obtutibus exhibentur, ut eorum, quæ prius, quæ modo, quæque

A) Spin. Tra&. Theol. polit. c. 6.

quæque in futurum accidere unquam contigerit, nihil ipsi fuerit impervium, nihil occultum. Nihil insuper præter Deum authorem in Mundo, nullus in corpore motus agitur; quanquam ita rebus omnibus manum admovet, ut in agentibus singulis eorum foveat libertatem. Cum autem novi aliquid in Mundo acciderit, non ita constituendum de ipso, quasi rem aliquam antehac occultam tunc primo cognoscens, novum de illa decretum rogaverit. Semel ille omnia ab æterno ita statuit, ut ipsa rerum mutatio ab immutabili illo Consilio ab ævo decreta, æternum manserit. *Opera mutat, Consilia non mutat.* A) De singulis creaturis pro arbitrio citra dispendium naturæ disponit, cum non alia sit rerum natura, quam ipsa Dei disponentis voluntas. B) Causarum secundarum connexio, earum ad generales motuum leges subordinatio, partium Universi inter se dispositio, singula hæc sibi certe adeo fixa & constantia sunt, ut ab uno tamen summe libero, cui inexploratum nihil, dirigantur; ab uno illo corpora omnia pendent, & motus, & cum maxime a consuetis atque præscriptis sibi in rerum gubernatione legibus recedit, tunc potissimum libera illa suæ voluntatis decreta fixa ab æterno & rata exequitur. Maneat ergo, prodigia Dei providentis alto consilio disponi, ipsamque rerum œconomiam fovere potius, quam pervertere.

Calmet Dissert. T. I.

T

Au-

A) Aug. Conf. l. 1. 2) Cont. Faust. l. 25. c. 5.

Augustam prorsus Spinosa Divinæ voluntatis ideam sibi præscripsit, dum constantiæ illius ita consuluit, ut libertatem negarit. Ludit profecto de nomine *Legis naturæ*, quasi scilicet aliud quam Dei voluntatem designaret, vel prodigia naturæ leges destruerent; cum tamen Dei voluntatem ipsissimam esse rerum naturam jam ostenderimus. Prodigia vero liberæ quidem Dei voluntatis sunt opus; non voluntatis quidem, generales atque consuetas naturæ leges dirigentis, sed peculiaris, quæ sibi pro sua libertate agenda quædam insueta reservat. Hæc vero prodigii notio.

Ex his plane colligi posse arbitror, prodigiorum facultatem solo Deo reservari, ut in ejus privilegii communionem neque Angeli, neque animæ a corpore secretæ, venire unquam possint. Quamquam eorum precibus aliquando, sicut & eorum ministerio atque instrumento factum est, ut Deus prodigia patravert; sicuti de Angelis & Prophetis in Veteri Test. de Apostolis in Novo legimus.

Verum de malis Spiritibus non ita facile intelligimus, qui tantum valuerint, ut prodigia patrarent; neque enim sive vi sua illa operari, sive a Deo precibus impetrare potuerunt. Quare Deum illis ultionis suæ administris usum in prodigiis exhibendis credimus; nisi forte nullum a Dæmonibus verum prodigium factum unquam, sed omnia ad præstigia & ad occultam aliquam, sed naturalem, causam deputare maluerimus.

rimus. De hoc igitur in præsentiarum agendum.

Magi Pharaonis, narrante Scriptura, virgas in angues, aquas in sanguinem, Mosaica prodigia æmulati, transmutarunt Exod. 5. &c. Ab his Magorum prodigiis ita Moyſes cavendum monet, ut ſimul a Dæmone patrari illa non ambigue ſuadeat Deut. 13. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiffe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum; & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentavit vos Dominus Deus veſter.* Dæmonis Beelſebub poteſtate in pellendis malis Spiritibus uſum JESUM CHRISTUM exprobrantibus Phariſæis, objectam calumniam ipſe CHRISTUS diluens, hanc quidem in prodigiis patrands poteſtatem Dæmoniis non negat; ſed vix fieri potuiſſe dicit, ut Satan CHRISTO adverſario ſuo obſequens, ſecum ipſe pugnaret Matth. 9. 34. & 12. 24. Alibi etiam cavendum nos monet a prodigiis Pſeudo-Prophetarum Matth. 24. 24. Anti-Chriſti ſigna & portenta omnia Apoſtolus perſequitur 2. Theſſal. 2. 9. Docet inſuper, Satan in Angelum lucis aliquando ſe transformare. Plures tandem ex Patribus, Magos Pharaonis virgas ſuas in angues vere transmutaſſe, cenſuerunt; quod quidem ſine vero prodigio fieri potuiſſe, vix in animum inducimus.

Origenes pari fere prodigio utrinque contigiſſe, ut Moyſis nimirum & Magorum virgæ

in angues transmutarentur, luculenter asseruit; A) quanquam angues in virgas restituere Dæmon frustra tentavit; quippe quod: *Contraria virtus male quidem facere aliquid potest, sed restituere in integrum non potest.* Theodoretus quæst. 18. calumnias eorum diluens, qui Moysis prodigia Magiæ accusabant, nihil habet in promptu, nisi Magorum Pharaonis de prodigiis illis genuinam confessionem: *Digitus Dei est hic.* Tandem ait, si Moyses præstigiis tantum inuentus fefellisset, Magi, aliis objectis præstigiis, impostorem arguere potuissent.

S. Augustinus hac sibi proposita quæstione: B) An scilicet virgæ Magorum nomen tantum & inanes anguium figuræ, seu veri essent colubri? Respondet, ex ipsa Scripturæ phrasi par utrinque, & in Moysese, & in Magis, prodigium satis designari. Quid ergo (ait) Dæmones pari cum Deo creandi virtute pollent? Neque enim aliter tam prompta rerum mutatio fieri unquam potuit. Minime illi quidem (sequitur Augustinus) sed sementinum aliquod rerum corporearum principium per omnia late elementa diffunditur, quod apta offendens agentia, res singulas producit. Si quæ autem ea occasione res novæ producantur, non creari quidem; non enim e nihilo prodeunt; sed
pro-

A) Orig. hom. 13. in Num. *Efficis similiter contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei &c.* B) Quæst. 21. in Exod. *Deus vero solus verus creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus insormit.*

procreari tantum, & e materno caularum suarum sinu educi censendæ sunt.

Ita fieri potuisse censet S. Augustinus, ut projectæ a Magis virgæ momento in angues transmutarentur; dicto enim citius Dæmones solutæ virgarum materiæ aptas causas anguibus procreandis applicarunt. Qui vero causas & principium illud e nihilo produxerit, solum Deum idem Vir Sanctus agnoscit. Paria repetit in libro 3. de Trinitate c. 8. sicut & de Civitate Dei l. 18. c. 18. ubi probat Dæmones sine peculiari Dei auxilio vim suam exerere non posse; omnem insuper potestatem novas producendi creaturas illis abjudicans, solam immutandi creatas a Deo species virtutem permittit; quare (ait) non tantum immutare animarum naturas frustra conarentur; sed nec in corpus hominis valent adeo, ut in belluam redigere possint. Tandem in Epistola ad Deogratias Ep. 102. nov. Edit. q. 16. n. 32. *Quamvis (ait) & Dæmones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate, sed specie: non sapientia, sed plane fallacia.* Quæ facile de prodigiis Paganorum ab Augustino dicta sunt, non de iis, de quibus S. Scriptura tanquam de veris ac minime fucatis prodigiis narrat.

S. Thomas 1. par. q. 104. art. 4. Augustini argumenta & sententiam adoptans, omnes a Dæmonibus inductas rerum immutationes naturæ legibus consonas ostendit; novis enim (ait) motibus, vel nova forma certæ substantiæ

indita, novas stare res Dæmones jubent; quæ vero (pergit) aliquando Dæmonum prodigia supra naturam apparent, hæc sane præstigia censenda sunt.

Plerique ex Commentatoribus in eandem sententiam abierunt, cujus tota difficultas in eo versatur, an sola causæ naturalis applicatione fieri potuerit, ut ex virgarum materia nova substantia prompte compingeretur. Tostatus in Exod. 7. q. 20. rem esse impossibilem judicans, fieri potuisse censet, ut Dæmon, pro ea, qua plurimum valet, agendi dexteritate, subductis clam virgis, veros angues substituerit. Alii malum Dæmonem, cui Moysis consilium, jam ab ipso Moyse populo revelatum, innotuerat, virgas antea paulatim præparasse malunt, ut opportuno tempore in angues transmutarentur. A)

Utcumque tamen res contigerit, Patres, & Interpretes nullum intercessisse in ea re prodigium fatis conveniunt. Miram illi quidem, & singularem metamorphosim, naturæ tamen legibus consonam, fatentur; sed neque in Scriptura unquam Dæmonum & Pseudo-Prophetarum prodigia, veri prodigii elogio donata animadvertunt. Nunquam etiam malos Spiritus libera & independenti potestate usos, ex eadem Scriptura novimus. Apostolus quin etiam Anti-Christi signa ita describit 2. Thessal. 2. 9. 10. *Cujus est adventus secundum operationem*

nem

a) Cajet. & Barrad. & Jans. in Exod.

nem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis in iis, qui pereunt. Si quando in S. Scriptura Dæmonis prodigia aliqua referuntur, statim a Deo ita permittente, atque malis Spiritibus ultionis suæ ministris uso facta dicuntur. In narratione plagarum Ægypti legimus, Deum Magorum virgas in angues, Nili aquas iisdem Magis authoribus in sanguinem transmutari sivisse; sciniphes vero, Deo renuente, producere illos nequicquam tentasse. A) Quid, quod eodem cum cæteris Ægyptiis fato iisdem plagis Magi illi affecti sunt? Deo ita disponente, ut pro ejus arbitrio & virtutem illi suam exeri, & in ordine contineri faterentur.

S. Augustinus in Exod. q. 21. veros quidem angues e virgis Magorum prodiisse consentit; sed ait: *Non fuerunt tamen creatores Draconum nec Magi, nec Angeli mali, quibus ministris illa operabantur.* Satanæ quidem datum est, ut occasionem & causas instruat rerum productioni aptas; at nova creare uni Deo, a quo singulis naturalibus agentibus accepta virtus, reservatur.

Alibi vero docet, B) totam malorum spirituum potestatem in eo sitam esse, ut malos Deo permittente puniant; bonos exercent: *Nec ideo, sequitur, putandum est istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilibus rerum materiam, sed soli Deo.* Paria de virgis in colubros transmutatis docens S. Thomas 2.

T 4

2. quæst.

A) Exod. 8. 18. & 9. 10. B) De Trin. l. 3.

2. quæf. 178. art. 1. ad 2. addit deinde: *Non vere habent rationem miraculi, quæ sunt virtute aliquarum naturalium causarum.* Si ergo SS. Augustino, & Thomæ fides habeatur, veri patranda miraculi potestas nulli prorsus creaturæ, sed Deo tantum conceditur.

Reliqui ex Patribus in iis, quæ ad prodigia spectant, malis spiritibus minus concedunt; quippe qui virgas Magorum mero præstigio angues spectantium oculis exhibuisse sustineant. Tradit Philo de Migrat. Abraham, Magos illos omnibus artis suæ conatibus eludendis veris Moysis prodigiis laborasse; quanquam (ait) alios decipere moliti, suis ipsi artibus decepti sunt; id agente Numine, ut virga Aaronis Magorum angues voraret. Licet vero alibi idem Scriptor veros angues ex Magorum virgis productos pro certo constituere videatur; addit tamen, virgam Moysis serpentes a Magis productos, & denuo in pristinam virgæ naturam restitutos vorasse; quo Deus prodigio (ait) iniquos rei æstimatores docuit, ea, quæ a Moyse portenta patrata sunt, non callidi alicujus veteratoris dolos æstimari debere, sed Divinæ operationis, cui nihil impossibile, vera & genuina miracula. A) Quo sane dicto satis Author insinuat, Magorum virgas artis tantum præstigio, serpentis speciem, non rem exhibuisse.

Jose-

A) Philo. l. 1. de vita Moys.

Josephus Antiq. lib. 2. c. 5. loquentem inducit Moyssem ad Pharaonem in eam sententiam; transmutare scilicet se virgam suam in anguem, non mero tantum præstigio, simplicioribus fallendis, uti a Magis factum fuerat, sed vero prodigio Divina virtute patrato. Pseudo-Justinus totum hoc Magorum opus malo Spiritui imputat, qui spectatorum oculos præstigio fallens, anguim & ranarum speciem inanem & vacuam exhibuit. A) S. Justinus in Dialog. cum Tryphon. eâ Magorum miracula in eodem censu habet cum prodigiis Paganorum, quibus Dæmon simplicioribus imponit. Quid autem hæc sunt, nisi præstigia? Tertullianus de hoc argumento ita differit in libro de Anim. c. 57. *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis Magicarum virgarum dracones; sed Moysis veritas mendacium devoravit.*

Hæc Tertulliani verba præ oculis habuisse Hieronymus videtur, de Anti-Christi miraculis in hanc sententiam locutus epist. ad Algasiam c. 2. ad finem: *Quomodo enim signis Dei, quæ operabatur per Moyssem, Magi suis restitere mendaciis, & virga Moysi devoravit virgas eorum; ita mendacium Anti-Christi veritas devorabit.* S. Gregorius Nyssenus de vita Moysis, S. Prosper de promiss. part. 1. c. 5. Ambrosiaster in 2. Timoth. cap. 3. Rupertus Abbas in Exod. alique ficta omnia, & mera præstigia in prodigiis Magorum agnoscunt.

T 5

At

a) Quæst. de Orthod. q. 22.

At enim sine prodigio fieri non potuit, ut Magorum virgæ sive occulto & subtili dæmonum artificio novam induerent anguium figuram, sive adstantium oculis induisse viderentur, quamvis alioqui virgarum naturam in se retinerent. 2. Si Deus fallentes iis dolis dæmones suæ voluntatis arbitrio dirigit, commissi cum illis criminis reus habendus esset; quippe qui mali hominibus irrogandi adiutorem sese præbuisset. 3. Si genuina illa prodigia censenda sunt, quæ & certas naturæ leges, & agentis naturales vires excedunt, vera a fictis miraculis discernendi ratio difficilis hominum plerisque continget; quare satis certum a miraculis argumentum vix erit quod deducatur; quis enim naturæ Leges omnes discusserit?

Hisce ergo difficultatibus singulis ista reponeamus. 1. Quæ singulis Angelis, Dæmonibus, animabus a corpore secretis, naturalis vis insit, quidque proinde in corpora valeant, ut naturalia a supernaturalibus discernantur, vix est quod a nobis determinetur. Subtili quadam corporis materia, aura tenuiori, Angelos, dæmones, & animas constare Veterum nonnulli autumarunt; A) quare, inquiunt, Dæmones sacrificiorum nidoribus, B) cantilenis, sanguine victimarum, muliebri coitu delectantur; sicut & certis adstringuntur temporibus, locis, & ædificiis. Quod autem bonos a malis Angelis

A) Vide Orig. in præm. l. 1. de princ. B) Idem cont. Cels. l. 7. & l. 8. vide Spencer. not. in hunc libr.

lis apud illos distinguebat, pronum erat & obstinatum in deteriora studium, quo mali Angeli, ejusdem alioquin cum bonis naturæ, detinentur. Ita plane duos oculos vel aures ex vitio alterutrius distinctos diceremus. A) Subtilium istorum corporum dotem esse immortalitatem rati, crassiori resoluta corpore, tenue illud, quo anima constat, & instar corporis crassioris efformatum erat, manere censebant. Hoc autem animæ corpus, ab altero crassiori secretum. Veteribus nonnullis *astris simile*, B) *fulgori simile* dicebatur; atque ex luce nonnunquam circa sepulchra micante, argumentum de animæ immortalitate, de figuræ illius cum corpore affinitate, iisdemque servatis, quas olim in corpore habebant, inclinationibus trahebant. Laudatur etiam in eam rem historia divitis improbi, & Lazari; tum illud S. Thomæ: *Nisi videro in pedibus ejus & manibus fixuram clavorum, non credam.* Persuasum enim habebat Apostolus (ait Origenes) fieri potuisse, ut animæ JESU CHRISTI ea esset cum corpore similitudo, qua Apostoli facile deciperentur.

Cum tamen alia jam obtinuerit de Angelis sententia, aliter proinde nobis de Spirituum in corpora operationibus philosophandum. Si veterum illa opinio admitteretur, facile profecto

A) Orig. t. 23. in Jo. B) Orig. con. Cels. Iren. l. 2. c. 6. 2. & 63. vide Porph. de abst. animal. l. 2. pag. 212. 213. edit. Lugd. 620.

cto intelligeremus, qui fieri potuisset, ut tenue illud Angelorum corpus immutandis organis animalium & elementis valeret. Cum enim corporum nostrorum structuram, atque cætera naturæ arcana perspecta haberent, quæ potissimum commoveant organa, quasve impellant causas secundas, occulta quadam & subtili vi, corpore tenuissimo instructi agentes, quibus nec ingenium deesset nec sapientia, nosse equidem poterant. Quare mira licet & præter fidem agere viderentur; nihil tamen præter notas naturæ leges factum intelligeremus. Quidni enim corpus sibi non ab simile corpus aliud moverit? Quod autem tenue sit & subtile, in corpora facile irrepens, penitiora omnia pervadit; cum interim crassum aliud corpus in ipso veluti limine subsistere cogatur.

Alia est igitur nobis via disputationis tenenda. Spiritus, cui, præter intelligendi & volendi facultatem, omnia desunt, cur in corpora naturaliter agat, nihil est; nihilque illi cum materia commune, ut ei disponendæ per se veluti manus possit admovere. Quare vel dæmon aptam ad anguem compingendum materiam in virgis Magorum per se disposuisse dicitur; vel intuentium oculos præstigio aliquo ita fascinauisse, ut intueri se anguem crederent (quod vel ipsos aspicientium oculos perstringendo, vel inane spectrum ante obtutum offerendo præstari potuisset) hæc tamen omnia naturæ pure puteque intellectualis vim omnem superant.

rant. Hæc tantum de Spiritibus ratione magistra discimus; cum vero plura illos in corpora valuisse Divina revelatione noverimus, ineunda nobis est ratio, cur sine prodigio fieri illa potuisse exponamus.

Historiæ non infrequentes in S. Scriptura leguntur, Dæmoni tantummodo authori imputandæ; uti inflictæ Jobo mala, energumeni quam plures in Evangelio; tentatio JESU CHRISTI per Diabolum, quo vehente ipse JESUS primo in verticem excelsi montis, dein in pinnaculum Templi translatus est. In his plane concessam Dæmoni patrandorum prodigiorum facultatem ab ipso Deo malis illius consiliis opem præstante, quis non impius & blasphemus crediderit? Nonne doli tunc & impietatis, quam Satanæ meditabatur, reum Numen ageretur, si fallere ea ratione homines, atque perdere volenti prodigiis suis serviret? Ne igitur malorum author dicatur Deus, insitam sibi vim ea occasione, Deo permittente, exeruisse Dæmonem fateamur oportet, quam scilicet Numinis permissionem obtinuisse, cum Jobum affligeret, cum malorum Spirituum legio hominem in Evangelio infestaret, liquido constat.

Quæ vero bonis Angelis authoribus in Scriptura gesta leguntur, sicut & animarum extra corpus per visum oblata species, ea quoque citra prodigium facta esse non raro suspicamur; quod & in corpora agendi, & elementa subigendi insita sit Spiritibus virtus. Profecto si
quid

quid erit in ea re prodigii, id plane reputandum est, quod Deus raro ea præstare Angelos permittat; cum interim familiarem & assiduam illam, quam Angeli, & Dæmones in corpora, sensus, phantasiam, atque in cætera, quæ nos circumstant, potestatem exercent (quamvis nobis alio intentis & imprudentibus) vix aliquis fuerit, qui inter miracula adscribat. Cum itaque Angeli deducere nos, atque pericula omnia a nobis subducere curaverint; cum piæ imagines phantasiæ subjecerint; quemadmodum impiæ a Dæmonibus exhibentur; cum motus ab iisdem Dæmonibus pravi in corpore excitantur; cum, inquam, hæc omnia facta novimus, nonnisi naturalem Spirituum vim agnoscimus. Difficiliora plane ista non sunt iis, quæ de tentatione Christi in Scriptura narrantur. Nos quidem latente seductore tentamur; Christus sensibili specie coram se Dæmonem vidit: res cæteroqui congruit: neque enim, quod nobis invisibilis Dæmon insidietur, minus in nostro corpore humores & phantasiam concitabit.

Explicandum modo, quo fieri possit artificio, ut Spiritus a corpore secretus in corpus agat. Cum Dei voluntatem omnium esse rerum naturam supra constituerimus; si quando de motione corporum a Spiritibus in Scriptura legerimus, Deum id voluisse, ut scilicet Spiritus corpora removeret, inferamus oportet. At enim Spiritum in corpora acturum ad corpe-

ra se se applicare necesse est; quod sane de rebus nulla proportione conjunctis vix concipimus. Nihil plane in ea re novi. Nonne corpori movendo anima adjungitur? Porro anima sanguinem, spiritus animales, totum denique corpus commovere potest; quemadmodum vicissim sanguinis totiusque corporis, atque obsectorum sensibilibus excitationibus certæ quædam respondent in anima perceptiones & affectus; doloris videlicet, lætitiæ. &c. Quid igitur, animæ corpus movere pronum erit; Angelis vero, & Dæmonibus non erit?

Ipsa quidem experientia doceri nos fateor, de mutuo, quo Deus animam & corpus vinculo alligari voluit; ut scilicet animæ & corporis affectiones affinitate quadam jungerentur: quam sane experientiam de Angelis & Dæmonibus nullam habemus. Sed eam, quæ corpus animæ jungit, dependentiam, ipsa Dei voluntate inductam fuisse, hac nobis ratiocinatione innotescit. Nullum corpus & animam naturale vinculum inter se alligare posset, nisi Divinæ voluntati id totum tribuatur; hanc igitur voluntatem intercessisse oportuit. Paria ergo de Angelis, & Dæmonibus philosophari planum est; solo nimirum illa Divinæ voluntatis glutine conjungi potuisse. Coniunguntur autem re ipsa? voluit ergo Deus, ut jungerentur; ita scilicet ut ad Spirituum voluntatem variam variis corpora motionibus agerentur. Ea est igitur Spirituum natura, seu potius hæc
est

est Dei voluntas, quæ totam actionem Spirituum in corpora ita constituit, ut naturalis aliquando sit, nec semper prodigium referat.

Quod huic nostræ sententiæ difficultatem aliquam faciat, illud est; nimirum Deum malorum & tentationum, quæ probos viros exercent, authorem futurum: siquidem ille voluntate sua volenti Dæmoni obsequatur. Hanc plane difficultatem anticipatione quadam jam occupavimus; quemadmodum enim Deus malis improborum consiliis pravas in corpore motiones succedere, ipso quidem Deo reapse movente, citra sanctitatis suæ dispendium sinit; ita plane de concursu Dei occasione Spirituum philosophamur. Deus itaque impium aliquod factum ita causat, ut non in crimine, sed in actione ipsa participet; voluntate etenim crimen concipiente, Deus ejus occasione materiam movet, quemadmodum occasione probi cujusdam consilii, quod voluntas justorum statuit, aptum ad id motum in corpore excitat; omnia juxta Leges firmati inter corpus & animam fœderis. Non est igitur, ut Deus malorum Author propterea accusetur.

Majoris momenti aliud contra eandem nostram sententiam objiciunt; nempe inter verum & falsum prodigium ægre prorsus discrimen aliquod, rudioribus satis exploratum, constitui posse. Fateor quidem ultra vulgare captum rem esse; nec inde tamen sequitur, quod ex prodigiis deducitur argumen-

tum,

tum, futile esse & inane; sed illud potius, noscendorum prodigiorum iudicium non omnibus vulgo permitti. Facile enim in ea re decipi populum compertum est, ut speciem tantummodo prodigii pro re incautus usurpet.

Prodigia tamen nonnulla suppetunt adeo aperta & explorata, ut imperitissimi quique de populo tuto de illis iudicare permittantur. Ita plane cum Moyses elata virga pelagum pro arbitrio diffudit, restituitque; cum e silice percussa aquarum venas eduxit, terramque subito hiscere absorbendis seditiosis præcepit; cum JESUS CHRISTUS Lazarum, defunctum quatri-duanum, vivum itare iussit, ipsumque se tandem resuscitavit; nemo sane in his omnibus miraculum diffitebitur. Nec Philosophum sane, nec doctum aliquem virum consuluisse oportet, ut hæc in prodigiorum censum referamus. Si vero Moyses & JESUS CHRISTUS uno saltem vero prodigio, quod nulla possit pervicacia labefactari, claruerunt; ex illo sane cæteris omnibus eorum prodigiis minus apertis & exploratis, ab iisdem Scriptoribus relatis, & confirmandis iisdem veritatibus præjudicatum est.

Profecto si vir litterarum rudis certos Angelicæ, Dæmoniacæ, & Magicæ virtutis limites ignoret, si quousque valeant circulatoriis artibus fallaces quidam homines, non satis assequatur; habet tamen persuasum, fieri nunquam posse, ut naturalis quicumque agens ipse

se revocet ad vitam, Solem currentem virtute sua remoretur, procellas compescat. Quando enim cætera omnia Spirituum ignorarem, hæc tamen facultatem eorum superare plane non dubito: ut enim corpora materiam subigant, ut rerum non leves mutationes inducant, tempore opus & apparatus; certæ motus leges observandæ, eaque omnia negligere solius est agentis summi, cui prodigia dicto citius obsequuntur. Duo hæc sedulo distinguenda sunt: Rudiores æque ac Literati viri leges naturæ omnes non callent; Simples pariter ac Docti rem aliquam naturæ vires transcendere plane ignorare non possunt. Quid ego non valeam, novi equidem; quousque suppetant vires, ignoro; non enim sum adeo hebes crassusque, quin noverim sagittam, valido excussam nervo, nunquam posse me currendo pertingere; quamquam quid valeam in cursu, nunquam habuerim exploratum.

Est etiam, cum de prodigiis agitur, inter varios hominum gradus sedulo distinguendum. Vir enim a Religione Christiana alienus, propositæ sibi doctrinæ, quam prodigia confirmant, acquiescere tunc cogitur, si nihil & in doctrina lumini naturæ repugnans, & in prodigiis fictum ac suspiciosum offenderit. Cui si forte jam credenti, secundus alius miraculorum patrator superveniens, priorem illam doctrinam nova altera & opposita convellat, iudicium ille suspendens, in examen utramque

revocabit. Hæc Paganus. Christianus vero, jam instructus, si forte prodigia patrantes duos inter se oppositos offenderit, sedulo confert 1. uter ab Ecclesia probetur; 2. uter majoribus signis commendetur; 3. uter saniora & sinceriora præferat; statimque eo rejecto, cui Ecclesia & JESU CHRISTI doctrina repugnat, alteri sibi adhærendum judicabit.

At enim ratiocinationis quodam circulo ea in re utimur. Dum enim certa aliqua nota veris sincerisque prodigiis distinguendis exigitur, statim ea esse sincera statuimus, quæ veram sinceramque doctrinam confirmant. Si quis autem momenta quæsierit veræ doctrinæ inter duos illos Religionum oppositarum assertores, statim miracula promuntur, quorum indicio alter alteri præferendus sit; si vero signis claruerit uterque, Ecclesiæ judicio standum est; & si vicissim inter duas oppositas Ecclesias ambigamus, facto iterum ad prodigia recursum, ea dicitur præferenda, quam doctrina & prodigia commendant. En circulus.

Verum hisce reponimus, totius nostræ ratiocinationis fundamentum in eo positum esse, quod Deus, summa illa & inconcussa veritas, neque fallere unquam, neque deceptores, & mendacia, prodigiorum suorum autoritate confirmare, sicut neque promissam semel Ecclesiæ suæ infallibilitatem negare vel semel potest. His certo positis, quippe quæ in ipsa Divinæ naturæ idea continentur, illud statim re-

Et a consecutione deducitur, inter varia & opposita prodigia sive ad examen doctrinæ, sive ad Ecclesiæ auctoritatem recurrendum esse, cum vel Deus fallere unquam non possit; vel Ecclesiæ iudicium aliter habendum non sit, quam S. Spiritus iudicantis oraculum. Ecclesia igitur promissionibus JESU CHRISTI unice nititur, unde & prodigia pariter & doctrina petuntur; ex quo nexus quidam & catena argumentorum sibi innexorum & invicti roboris deducitur.

Magos, Pseudo-Prophetas, Anti-Christum miris quibusdam, & in speciem prodigia JESU CHRISTI & Apostolorum referentibus, signis clare posse, nullus dubito; Magos vero, aliosque similis farinae, tantam miraculorum frequentiam, longa serie continuatam, totque circumstantiis distinctam jactasse unquam, non credimus. Frustra apud illos parem quæras in prodigiis auctoritatem, & celeritatem; frustra patrandorum miraculorum prædictiones. An illi cœpta prodigia pro arbitrio abruperunt unquam? an signa in adjumentum doctrinæ, Divinitus datæ, atque veritatis, ad everfionem idololatriæ, superstitionis, mendacii, ad gloriam Dei promovendam vocarunt.

Numinum Paganorum miracula veris JESU CHRISTI prodigiis olim Celsus opponebat; A) cui reponens Origenes, quid inter Christi moralem solidamque doctrinam, & impias atque ab-

A) Orig. Con. Cels. l. 1. circa fin. & l. 2. pag. 89. &c. & l. 3. pag. 126. &c.

absurdas Numinum superstitiones intersit, plane depingit. Quis (inquit) morum correctionem præstigiis acceptam retulerit? Cui bono prodigia sua Dæmon, moribus hominum corrigendis, impendisset? Arnobius Paganos provocat, ut paria Deorum prodigia proferant, qualia a JESU CHRISTO, solo prolato verbo, vel nutu patrata constanti fama ferebantur. Longa atque perenni miraculorum serie ne mortales fallantur unquam, Divina Providentia intercedet; quæ quidem de mortalibus bonæ fidei maxime valent, non de illis, quibus veritatis contemptus & errandi studiosa voluntas tenebras offundunt.

Magi Pharaonis virgas quidem in angues transmutarunt, quod sane prodigii speciem aliquam præferabat; sed statim Deus immissa in angues Mosaica virga & vorari illos, & fraudem indicari voluit. Cum vero, Mosaicum prodigium æmulaturi, Magi illi sciniphes educere conarentur, re frustra tentata, tandem Divina virtute valere Moysen professi sunt. Quid, quod ulcerum plaga in Ægyptios sæviens, nec Magis pepercit? Quod nihil illi incommodi Israëlitis inferre unquam valuerunt, qui etiam inter tot mala, per Ægyptum grassantia alta semper pace fruebantur?

Conferat plane, si quis velit, JESU CHRISTI, Moyse, & Apostolorum prodigia cum prodigiis Magorum Pharaonis, Apollonii Thyanaei, & Numinum Paganorum; immane quantum di-

scirent inter se illa omnia, intelliget. Factumne unquam a Dæmone legimus, ut annium cursum suspenderet, pelagum diffunderet, amaricantes corrigeret aquas, potabilesque educeret e silice, futura e plurium causarum concursu pendentia diu antea prædiceret, defunctos, post plures sepulturæ dies, revocaret ad vitam? An de Magis vulgatum est unquam, quod stratis in undis graderentur, cæcos illuminarent, gibbos, mutosque a primis crepundis solo nutu restituerent? Ea vero, quæcumque fuerint, Magorum atque Idolorum prodigia quis retulit? Integre fide viri, coævi, testes oculati, qui earum rerum veritatem sanguine & vita testati sunt?

Tota Dæmonis vis in obsidendis divexandisque corporibus, morbis incutiendis, probis viris tentandis impenditur. Christo videntem se præbuit, quo scilicet ab illo imprudente & incauto cultum extorqueret. Potestatem suam ad malum tantummodo injuriamque inferendam habet expeditam; nunquam non mendacii, superstitionis, & impietatis patrem se probans. Sermones cum Eva miscet; cui bono, nisi ut dictis illa Dei pervicacius obstet? Vim omnem suam in Jobum exerit; quo scilicet de firmissima patientiæ arce in barathrum desperationis miserum deturbet. In impietatem tandem atque calamitatem redigendis hominibus, potentiæ suæ nervos omnes Dæmon ejusque ministri intendunt.

Angeli itaque tenebrarum pro libito in Angelos sese lucis transforment; Beelsebub malis depellendis Spiritibus interdum laboret; Pseudo-Prophetæ sub dolosis prodigiorum mucipulis vel electis ipsis moliantur insidias; semper tamen veritatis a mendacio discernendæ ratio erit explorata: gesta ipsa filiorum mundi & tenebrarum, dogmata, doctrina, fides faciem præferent, ne errare contingat. Rudiores quique ex fidelibus, iudicio atque sanctionibus Ecclesiæ, ut par est, inhærentes, a fictorum prodigiorum dolis minime sibi timebunt. Ecclesiæ est enim de missione atque bonorum malorumque Apostolorum meritis iudicium. Simonem damnat? prodigiis licet supra fidem coruscanti, cæli alta petenti, anathema continuo dicimus. Miracula doctrinam, & doctrina miracula fulcit; mutuo illa sibi iuncta atque compacta in unum coalescunt. Quare populo iudicium, quemadmodum de doctrina, ita de prodigiis interdicitur; utrumque enim amplexa eorum fides, & doctrinæ, quam miracula fulciunt, & miraculis, quibus subnexa doctrina, cæco illos obsequio colla submittere jubet. Deductum a miraculis, Ecclesiæ iudicio probatis, argumentum, firmum semper qua rudioribus, qua doctis Fidelibus ratumque manet; utrique enim in prodigiis Divinæ potentix, atque authoritatis Ecclesiæ, miracula probantis, non obscurum characterem agnoscimus, atque suspicimus.

Veri

Veri itaque miraculi characteres sunt: 1. vires agentis omnes naturales notas, A) ignoratasque excedat. 2. ad DEUM & JESUM CHRISTUM dirigat. 3. ne quid in veram doctrinam, pietatem, & Ecclesiam, labis admittat. Rectam hanc miraculorum ideam habuisse Pharisei, JESU CHRISTI ætate, videntur; ex qua scilicet illi argumentum in eundem JESUM CHRISTUM prætendentes, omnes ab illo & doctrinæ & morum characteres abesse contendebant. Legem illi ea occasione proferentes in medium, cautum Judæis dicebant, ne prodigiorum fulgore perstricti, doctrinam contra Legem aliquam subrepere paterentur; omnia quin potius Sacerdotum judicio, de Prophetis decernentium, fore reservanda. Singula autem hæc in Christum urgebant; cum Legis prævaricatorem, damnatam jam Sacerdotum judicio doctrinam spargentem, arguebant. Quid igitur JESU CHRISTO absolvendo apud populum supererat? Quis e populo jure meritoque ab ejus consuetudine non se continuisset? Nec tamen JESUS immunes a culpa Judæos, doctrinam suam non recipientes, pronuntiat; ait enim Joan. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Erat igitur cur ex miraculis doctrinæ argumentum caperent; nec Judæi immunes erant a culpa, si tanta miraculorum gloria coruscantem Christum non agnoscerent. Recta plane Nicodemus philosophatus est, illis

ad

A) Vide Pensées de Pascal. art. des Miracles.

ad Christum verbis Joan. 3.2. *Scimus, quod a Deo venisti Magister ; nemo enim potest hæc signa facere , quæ tu facis ; nisi fuerit Deus cum eo.*

Nec plane aliud quærendum est nobis argumentum , ut aliquis a Deo missus demonstretur , si certis miraculorum signis claruerit ; ipsis enim impressis a Deo & veritate characteribus distinguitur a deo , ut quamvis suspectam doctrinam serere videatur (quam de Christo suspicionem facile Nicodemus admittere poterat , quippe qui Pharisæorum traditiones credebatur evertere) omnes tamen dubitationum tenebras , nitens miraculorum fulgor depellit ; neque enim Deus in errorem unquam inducere credendus est. Induxisse autem in errorem oporteret , si corruptæ doctrinæ disseminatoribus prodigia fervirent ; nisi tamen ea esset doctrina , quæ ipsa se falsitatis apertissime argueret ; vel saltem ab alio , clarioribus patris prodigiis , non argueretur. Quid enim alioqui in Ecclesia constaret ? Si nimirum Ariani , Scripturas prætendentes , dogmatum suorum stipendiaria haberent prodigia ; eaque vicissim prodigia nulla fuissent apud Catholicos , iisdem alioqui Scripturis inhærentes ; tum sane prodigiis inspectis ad pravam Arrianorum doctrinam vel inviti pertraheremur. Hanc igitur invidiam , deducendi scilicet in errorem mortales , subiisset Deus (quod plane ab illo , sanctitatis & justitiæ norma , alienum est) si id unquam committeret , ut in ancipiti atque obscura quæ-

stione miracula in deteriore partem iudicii lancem inclinarent. Si vero utrimque miracula pugnent; tunc ad regulas supra a nobis præscriptas foret recurrendum; nempe ad examen doctrinæ, ad miraculorum characterem; spectandi mores illius, qui prodigiis claret; consulenda Ecclesiæ authoritas, & preces imprimis adhibendæ, ut ab omni præsumptione, atque immodico votorum æstu libera mens, errorem facile a veritate discernat.

Singulare etiam aliquid in hoc argumento observat Tertullianus contra Marcion. l. 3. Ductum a prodigiis argumentum (ait) extenuasse Dei filius visus est, cum illam veritatis dotem etiam mendacio, & Pseudo-Prophetis communem fieri permiserit: *Temerariam signorum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudo-Christos facillimorum.* Quæ cum ita sint (addit Tertullianus) undenam Christus authoritatem prodigio vindicat, ejusque recipiendum præcipit testimonium, ab eodem interim privilegio patrata a Pseudo-Prophetis miracula excludens? undenam, inquam, nisi quod cum primus ipse venisset, verique miraculi characteres omnes explicasset, ipse sibi fidem conciliavit, atque sibi cordium dominium asseruit? Quem admodum enim primus ad balnea ingrediens, vacuam tenens sedem, occlusis foribus, locum occupat solus; ita pariter JESUS CHRISTUS *fidem occupavit, posteris quibusque præcipuit;*
puta

puta venturos Pseudo-Christos prædicens, atque depingens, fidem illis omnem abrogavit.

Donatistis Pontii cujusdam miraculum jactitantibus, factamque divinitus vocem Donato, dum preces funderet, narrantibus, S. Augustinus in Joan. tract. 13. hæc reponit; 1. Hæreticos semetipfos decepisse, fabellis fidem addicentes; quibus sin minus ipsi crederent, illud saltem commisisse, ut nos eadem imponendo deciperent. 2. Esto (ait) miracula penes Donatistas fuerint; charitas tamen hæreticis deest, sine qua fides, vel ipsos montes transferens, nihil est. Charitas autem nulla est, ubi unitas scinditur. 3. *Contra istos mirabiliores cautum me fecit Deus meus, dicens: In novissimis diebus exsurgent Pseudo-Prophetæ, facientes signa, & portenta, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos.* Miles, qui castra deseruit, rudioribus agricolis terrorem potest inducere; qui vero agere fidentius volunt, observant diligenter, num castra & focios miles ille sequatur, num militari ille privilegio fruatur adhuc. Si enim a reliquo militum corpore avulsus, nihil sibi de sociis promittere possit, minas incassum intorquet. Eandem comparisonem in medium adducit alibi etiam Augustinus, A) cum Magorum, & Sanctorum miracula ex fine ab utrisque intento, & patrandorum miraculorum autoritate distinguit.

X 2

Magi

A) Lib. 83. qq. 9. 79. ar. 4. Item serm. 90. & Chrysoft. in Matth. 7. 22. & alii PP. in eundem locum.


Magi enim gloriam sibi, Sancti vero Deo tantummodo procurant; illi certa quadam angustis limitibus præscripta virtute utuntur; Sanctis vero publica collata facultas ex Cœli terræque Domino derivata conceditur.


Latius hucusque de veris, falsisque prodigiis deducta in summam redigentes, asserimus,
 1. Patrandorum miraculorum auctoritatem penes Deum unice manere; quippe qui contra præscriptas, atque vulgares naturæ regulas manum suam, qua cuncta dirigit, pro arbitrio retrahere unus possit. 2. Hominibus, Angelis, malisque Spiritibus idem aliquando permitti, Deo ita disponente, ut creaturis suis justitiæ ac misericordiæ suæ ministris utatur. 3. Spiritus a corpore liberos, in corpora naturaliter agere posse. 4. Prodigia illa de Magis Pharaonis relata, mera Dæmonis præstigia reputanda. 5. Veris miraculis auctoritatem externam conciliari tum a populo, tum a doctrina, moribusque illius, cui referuntur accepta, ac tandem ab Ecclesiæ approbantis auctoritate.

FINIS TOMULI PRIMI.



Z BIBLIOTEKI
 SEMINARIUM
 SANDOBIERSKIEGO







00042633

